IOSEPHI PETRUCCI
E SOC. IESU

ET

VINCENTI FUGAE

SELECTA CARMINA.

IOSEPHI PETRUCCI

INTERAMNATIS

E SOCIETATE IESU

ET

VINCENTI FUGAE

ROMANI

SELECTA CARMINA

ACCEDUNT EPIGRAMMATA

SCHOLASTICORUM SOCIETATIS IESU

ROMAE

EX TYPOGRAPHEO IOSEPHI SALVIUCCI

Praesidum Permissu

M. DCCC. XXII.

AD BARTHOLOMAEUM PACCAM

V. E.

PRAEF. CURATORUM VRBIS ET FISCI APOSTOLICI
PRAEF. SAC. CONSILII EPISCOPIS
ET SODALIBUS RELIGIOSIS
TUENDIS MODERANDIS
PONTIFICEM PORTUENSIUM
CULTOREM VINDICEMQUE
ARTIUM OPTIMARUM

Si quis, quod paucos, doctorum Pacca virorum
Flos, et purpurei decus immortale Senatus,
Offerimus tibi versiculos lususque canoros,
Miratur fortasse; tuasque in publica curas
Commoda susceptas dicit nos velle morari,
Ille quidem te non novit; non magna juvari

Quam rebus scite reputes incepta pusillis;
Non quanti Grajas facias Latiasque Camoenas,
Quae tenerum fingunt puerorum os, balbaque amicis
Praeceptis adigunt dediscere verba, nec hirtum
Non mollire animum, sensim gliscentis et irae
Motus, et tacitae cohibere cupidinis aestus.
Non quia te magnis legatum Regibus olim
De magnis misit Sextus Pius ille negotis,
Difficili qui Christiadum rem fortis obibat
Tempore, nec legum pro libertate tuenda
Sanctarum exsiliumque pati mortemque refugit;
Nec quod Agrippinae rebus feliciter urbis
Compositis per te, assertis et juribus illis,
Romanus queis toti Antistes praesidet orbi,
Divinumque gregem sancta ditione coercet,
Dein Lusitanam fama compleveris aulam
Eloquiique tui nataeque ad grandia mentis,
Tot sancte officiis te functum adlegerit alter
Concilio Patrum Pius; expertusque fidelem
Consiliis socium adversis in rebus, ad unum
Te prope confugeret, te solaretur in uno
Implacido tristes obsessus ab hoste labores;
Donec prima redux Romam victorque malorum
Tantorum te sustollens ad munera, legum
Vim tibi sacrarum majestatemque tuendam
Crediderit, tibi Pontificum sacra jura, piosque

Semotorum hominum curis vulgique tumultu
Conventus, sacri tibi vectigalia fisci;
Non quod muneribus tantis et honoribus auctus,
Distentusque bonum dominae spectantibus urbis,
Et rem Christiadum sis curis, despicis ore
Subducto exiguum quicumque perambulat orbem,
Hasque ad litterulas dociles informat ephebos
Sedulus, ut posthac studia ad majora remittat:
Ut plerique solent, quibus uni scilicet illi
Adrident, magno qui magna minantur hiatu.
Nam referre negas, quales sit quisque per artes
Excultus, modo non illas sibi commodus uni
Excolat, ut rem aut ampliet aut venetur inanem
Gloriolam; qualem sed cumque exerceat artem,
In lucrum assiduis commune laboribus illam
Provehat, et patriam juvet indefessus et ornet;
Postremoque loco censeri nescius illis
Qui praeeunt instet, non opperiatur inertes.
Quippe his consilii doctrinaeque indiga pubes
Quum commissa viris artes addiscit honestas,
Culturae sensim patientem commodat aurem,
Et verum falso et justo secernit iniquum;
Moribus imbuitur sanctis, paretque regentum
Imperio: non res sedandis publica turbis
Cogitur incassum tot leges condere: nam quid
Proficiunt leges quamvis sine moribus aequae?

Vndique pax rerumque ordo : non crimina frenis
Poenisve esse petunt tristes cohibenda querelae.
Quae quum animo volvas tecum, optime Pacca, putesque
Ad commune bonum sartum tectumque tuendum
Nil prodesse magis quam si doctisque probisque
Erudienda viris detur studiosa juventus,
Res inter magnas, quarum non futilis olim
Auctor eras, acceptum etiam hoc tibi Roma refert, quod
Consilium tanta de re Pius utile danti
Annuerit tibi; nec dextram dubitarit amicam
Porrigere, atque auras ad vitae pene sepulcri
E tenebris Lojolaeos revocare Sodales;
Qui pueris operamque suam ingeniumque colendis
Jam praestare diu suerant, vulgoque latentem
Omnigenae non solum adytum reserare Minervae,
At quoque (quod caput est) teneris praecepta pudoris
Auriculis instillare et pietatis amorem;
Posthinc dissolvi fato quo nescio jussi,
Et patria et laribus pulsi violenter avitis,

Post longa exsilia ingrataeque silentia vitae
Languebant septi tenebris ignobilis otî.
Pro quibus in sese meritis ingentibus illi
Non tantum ex animo nunquam patientur abire
Post magnum te, Pacca, Pium; civilia cordi
Sed bona, relligioque, quiesque et publicus ordo
Cui sint, posteritas de te quaecumque loquetur.

ALOYSIUS FORTIS

Praepositus Generalis Societatis Jesu.

Cum librum cui titulus: *Josephi Petruccii e Societate Jesu, et Vincentii Fugae selecta Carmina, et Epigrammata Scholasticorum Soc. Jesu*, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, et in lucem edi posse probaverint, potestatem facimus ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur, cujus rei gratia has litteras manu nostra subscriptas, et sigillo officii nostri munitas dedimus.

Romae die 8. Aprilis 1822.

Aloysius Fortis

Selecta carmina Cl. Viri Josephi Petruccii e Soc. Jesu, quae jussu Reverendissimi P. Mag. S. P. A., summa legi cum voluptate, adeo eleganter, concinne, accurate Catulliani ingenii acumine, atque aurea Tibulli facilitate conscripta sunt, ut horatianum illud *sume superbiam quaesitam meritis* eximio Scriptori prorsus convenire videatur. Idem judicium de Claris. Vincentio Fuga ejusdem Societatis pronunciandum est, cujus Poemata Virgiliana elegantia et Flacci nitore exarata illius in lingua latina excolenda praestantiam satis superque testantur. Ceterae autem juvenum Alumnorum Soc. Jesu Poeticae elucubrationes quid tanto sub Magistro Josepho Petruccio valeant ostendunt, et spem certam Italiae universae faciunt, praestantissimos hosce juvenes quamprimum ad docendum vocatos, celebritatem illam Societati restituturos, qua praeteritis temporibus per omnem Europam litterarum ac scientiarum auxit patrimonium. Quocirca cum in iis scriptis nihil invenerim, quod aut Religioni, aut Principibus, aut bonis moribus adversetur, dignissima judico, quae typis committantur, et incitamento sint studiosae juventuti ad latinam linguam excolendam, sine qua, quidquid blaterent hac aetate inepti quidam homines, ne dicam Religionis osores, nemo potest ad veram docti eruditique hominis famam adsurgere.

Datum ex Aedibus Arcadiae XVIII. Kal. Maias An. M.DCCC.XXII.

Aloysius Godard Generalis Arcadiae Custos

Josephi Petruccii e Societate Jesu, Vincentii Fugae ac Shcolasticorum Societatis ejusdem carmina selecta legi diligenter, jubente Reverendissimo Patre Philippo Aufossi S. P. A. Magistro. Totius operis lectione maxime sum delectatus; nec in eo universo offendi quidquam, quod esset non consentaneum Religioni ac bonis moribus: omnia comperi scripta esse cum scite atque eleganter, tum cordate etiam ac sapienter; ut ea lectoribus et jucunda et utilia futura esse minime dubitem. Quae cum hujusmodi sint, ea gaudeo in lucem proferri; magnamque V. C. Josepho Petruccio Auctori diserto, et cecropias latinasque Musas optime callenti gratiam habendam arbitror, quod tam quae ipse confecit, tum Vincentii Fugae olim ex eadem Societate, qui latinitatis laude extremis hisce temporibus floruit, tum demum Scholasticorum Societatis ipsius, qui et ipsi verae latinitatis gustum habent, carmina, auream elegantiam purique stili venustatem, ab omni vitio remotam, praeseferentia, eum in finem collegerit, ut iidem Scholastici latinae linguae studium, subinvisum apud malevolos, at religioni ac bonis artibus maxime necessarium, quemadmodum adhuc fecere, in posterum excolant, enixeque a juventute, quam docebunt atque erudient, excolendum curent. Sic et de publica et de litteraria re benemereri perget Coetus ille spectatissimus, qui adolescentibus colendis jam-

diu operam praestare, atque ad omnes bonarum rerum disciplinas erudire, et, quod caput est, teneris auriculis pudoris praecepta pietatisque amorem instillare suevit. Dabam Romae Kal. Aprilis MDCCCXXII.

Josephus Capogrossi in Archigymnasio Sapientiae Juris Utriusque, in Nobilium Academia SS. Canonum Professor, et Academiae Theologiae censor.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Mag. Sacri Palatii Apostolici.

Joseph Della Porta Archiep. Damascenus Vicesgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Philippus Anfossi Sac. P. Apostol. Mag.

AD SCHOLASTICOS SOCIETATIS IESU

DE LINGUA LATINA REVOCANDA ET PROMOVENDA

ΠΡΟΤΡΟΠΗ

Primo post Societatem nostram a Pio VII. P. M. restitutam vix anno elapso, ego, ut vos, optimi Adolescentes, ad humaniores litteras informarem, a moderatoribus nostris arcessitus fui; non tam, credo equidem, quod illas per triginta fere annos in Collegio Romano Romanos Adolescentes docuerim, et, si minus doctrina et ingenio, at usu quodam et tot annorum exercitatione aliquid valerem, quam quod, quum Societati nostrae adolescens ac pene puer nomen dedissem, in ea, uti apud nos in more positum erat, horum studiorum curriculum ingressus fuerim, in eaque sub sapientissimo illo Magistro Aloisio Lanzio confecerim, de cujus in bonis artibus ac politioribus disciplinis praestantia nulla unquam eruditorum virorum posteritas conticescet.

Videbant enim sapientissimi illi patres, qui ex eo naufragio adhuc supererant, nunquam in pristinum splendorem societatem nostram licet redivivam restitutum iri, nisi vetus illa studiorum ratio restitueretur, quae in constitutionibus nostris praescribitur ac tantopere commendatur. Quum vero ob temporum a Societate dissoluta praeteritorum libidinem atque perturbationem alia

quaedam in publicas scholas humaniorum litterarum tradendarum ratio irrepsisset, in qua juventutis ad latinam linguam informandae consuetudo non modo negligeretur, ac de veteri spatio curriculoque deflecteret, sed in desuetudinem paullatim abiret ac pene obsolesceret, nullum aliud tam gravi malo remedium opportunius praesentiusque adhiberi posse arbitrati sunt, quam ut qui ex nostris Scholasticis ad juventutem erudiendam in collegiorum nostrorum scholas mitterentur, in eo potissimum elaborarent, ut ad veteris nostrae docendi rationis praescriptum latinae linguae studium, quod illinc abierat, aut potius exsulaverat, eodem veluti jure postliminii revocaretur.

Quum igitur hanc mihi a Praesidibus nostris demandatam provinciam suscepissem, nihil praetermisi, quominus ad latinae linguae studium, tunc temporis pene intermortuum, vos excitarem, ut illud, postquam in eo satis exculti peritique evasissetis, in publicis scholis, ad quas erudiendae juventutis caussa Societas nostra summa cum bonorum omnium efflagitatione et contentione arcessebatur, longe lateque, quoad in vobis situm esset, disseminare possetis. In tenui, ajebam ego, laborem hunc positum fortasse cuipiam vestrum videri, qui cum sublimiorum disciplinarum gloria, utilitate ac necessitate comparare illum velit, sed non in tenui fructum positum esse, qui percipi inde potest,

imo etiam plane debet. Omittebam studii hujus amoenitatem, voluptatemque illam maximam, qua illorum animi perfunduntur, qui ejus populi linguam cognoverint, ex quo sapientissimi tot oratores et poetae et historici ac juris periti exstiterunt, quorum scripta, quae ad nos usque pervenerunt, ignorare aut minus facile intelligere non modo rudis ac illiberalis hominis, sed omnino agrestis ac barbari esset. Omittebam illam vere singularem gravitatem majestatemque, ob quam latina lingua vere populo illo digna dici poterat, qui toti pene terrarum orbi imperitabat. Omittebam unanimem nationum omnium politiorum consensum, penes quas nihil antiquius fuit, quam ut in latina lingua adolescentes instituerentur, eam a teneris addiscerent, ea loquentes scribentesque non secus ac nativo quodam sermone uterentur; ac postquam ad sublimiores facultates gradum fecissent, eas non alio quam latino sermone docerentur. His aliisque husjuscemodi, quae satis vobis perspecta atque explorata esse rebar, praetermissis, illud praecipue contendebam, ideo de latina lingua a nonnullis detrahi, quod de latina Ecclesia, in quam male animarentur, detractum esse vellent. In ea lingua addiscenda adolescentes plus aequo immorari; infinitis propemodum, iisque exilibus ac jejunis grammaticorum praeceptionibus involvi atque irretiri; taedio interea affici, haesitare, nihil aut parum

proficere: hebescere aciem eorum ingenii, quod si ad aliquod aliud magis utile ac necessarium studii genus intenderent, ad geographiam exempli gratia, aut historiam, aut geometriam, mirum quam magnos laudabilesque progressus facerent! Haec atque alia hisce similia, quae ad infirmandum latinae linguae studium, ab eoque juventutem deterrendam a nonnullis dictitantur, non idcirco dictitari ajebam, quod ita sibi persuasum haberent: (quis enim qui paullulum modo eruditus sit, linguam illam nullius aut parvi momenti esse in animum inducat suum, quae totius eruditionis est veluti caput et fons? nec vero plurimos eorum, qui ita loquuntur, eruditos, et plus etiam quam paullulum eruditos esse negare ausim) sed ita loqui, ut speciosis quibusdam caussis suam a Romana Ecclesia alienationem praetexant, cujus vel ab ipso sui exordio ita latina lingua propria fuit, atque est, ut ea ad suorum dogmatum veritatem sanctitatemque et Christianis omnibus explicandam, et ab hostium perfidia vindicandam nunquam usa non sit. Neque id profecto sine divino quodam consilio, non sine magno totius Christianae Reipublicae emolumento factum esse: nam quid ad Religionem illam, quae ad universos terrarum populos pertinere debet, propagandam et sartam tectam servandam utilius, quam ut una populis universis lingua se cognoscendam praebeat, una leges sanciat, una moribus modere-

tur, una sanctissimas legitimasque suas in sacris administrandis caeremonias a profanis praeposterisque ritibus aliorum populorum secernat, qui vel ei nunquam per summam pervicaciam se subdiderunt, vel ab ea per summam perfidiam desciverunt? Hanc omnium populorum concordiam ac pene dixerim cognationem unius ejusdemque linguae ope constitutam ac veluti conglutinatam eo maxime spectare neminem non intelligere, ut Christiana Religio et latius proferatur, et firmius solidetur, et una ubique terrarum atque eadem atque individua ita servetur, ut quicumque vel ab extremis orbis partibus Romam usque Christianus se conferat, nihil novi videat aut audiat, iisdem, quibus sua in regione intererat atque operabatur, intersit atque operetur sacris, iisdem, quibus ejus populares, precibus Deum prosequatur, alienigenas intelligat, intelligatur ab ipsis, videat denique se Romae fuisse quum apud suos esset, quum Romae sit esse apud suos.

Hanc tamen omnium gentium in una eademque religione excolenda conservandaque unanimitatem, quam ex unius ejusdemque linguae communione confirmari atque augeri necesse est, his eruditis quidem, sed a Christiana Religione alienis hominibus parum, quin minime arridere: et quum videant res vel parvas concordia crescere, discordia vel maximas dilabi, idcirco latinam linguam, hujus tam salutaris consensus

custodem veluti atque altricem adoriri: contendere hanc linguam non pluris quam aliae, quae infinitae propemodum sunt, faciendam esse: nativum in primis cuilibet genti ἰδίωμα excolendum; illud adhibendum in Religionis dogmatis et praeceptis tradendis, in illud quae in latinis sacrorum librorum scriptis continentur vertenda omnia, tam quae ad vetus, quam quae ad novum, ut vocant, testamentum pertinent, ut rudi etiam plebeculae, pueris, mulierculis, quibus latina lingua plerumque ignota est, innotescant atque intelligantur. Haec quae passim praedicant, aut, ut melius dicam, effutiunt et crepant, si aliquando assequi possint, si diversae linguarum indoli ac conformationi, historiae, caeremoniae, praeceptiones, quas in sacris litteris Deus ipse tradidit, accommodentur, periculum maximum esse ego vobis ostendebam, ne quae una et simplex esse debet, varia et multiplex fiat Christiana Religio, atque in tot sectas, quot linguae exsistunt, scindatur et dilaceretur.

Nec vero omittebam illud refellere, quod a nonnullis latinae linguae contemptoribus dici solet: huic incommodo occurri facile posse, si latinitatis studium non plus ab adolescentibus excolatur quam quantum ad latinos auctores intelligendos satis est: in latine autem scribendi arte addiscenda oleum operamque omnino perdi: ab iis enim qui scribunt, quacumque tandem

de re scribant, in eorum gratiam scribendum esse, qui sunt, non qui fuerunt; sermone ab omnibus usitato atque intellecto, non eo, qui jamdiu obsolevit, atque in veterum scriptis, tamquam in aliquibus pinacothecis, ad antiquitatis memoriam retinendam recolendamque servatur. Quam sententiam non modo nihil, quod paullo solidum ac probabile sit ad eorum propositum confirmandum, conficere, sed secum ipsam pugnare, vobis demonstrare difficile mihi non erat. Aut enim minutulis quibusdam ac levioribus latinae linguae rudimentis, quantum prima illa puerili institutione effici potest, imbui satis habes; aut eam tam leviter attingere, ac veluti praetereuntem vix a limine te salutare, rem nullius momenti nulliusque laudis non injuria esse existimans, in ejus veluti adytum penetrandi, ejus elegantiam, gravitatem, numerum, varias dicendi formas, omnes denique ejusdem dotes penitus introspiciendi cupido tibi est: si circa tam vilem illum patulumque orbem moraberis, vix aut ne vix quidem latinos auctores intelliges, aut si quando intelligere voles identidem haerere, atque ad λεξικογραφους aut ad interpretes confugere necesse habebis; si vero hanc alteram, quam dixi, laudem assequi, si hujus linguae naturam, venustatem, vim complecti cupis, jam id omne, quod nos volumus, id inquam, quod non solum ad latinos scriptores intelligendos, sed ad latine etiam scri-

bendum, non sine magno quodam tui ac ceterorum, quorum gratia scribis, emolumento satis est, assecutus es atque complexus.

Ex quibus omnibus, quae vobis tunc, optimi adolescentes, demonstrasse me memini, et meminisse vos etiam debetis, colligebam, si unquam alias in latinae linguae studium incumbere necesse fuit, ex quo tot in litterariam Rempublicam commoda proficiscuntur, quo sublato vix aut ne vix quidem ullus in humanioribus litteris eruditus dici potest, nunc vere praesertim esse; nunc a quorumdam hominum partim minime malorum, partim dedita opera ejus utilitatem necessitatemque extenuantium calumniis et contumeliis vindicandum, nunc e tenebris, in quas illud conjicere ejus contemptores conantur excitandum atque eruendum, ne quid non modo liberalis adolescentium institutio, sed ne ipsa quidem Religionis Christianae sanctitas atque integritas detrimenti capiat. Atque in id vires omnes nostras intendere eo magis nos debere, quod instituti nostri ratio praecipue postulat, ut adjumenta illa omnia, quae ad juventutem ad bonas artes et Religionem informandam, atque ad Christianorum unanimitatem concordiamque fovendam conservandamque conducunt, non modo non vel leviter negligamus, sed etiam sedulo investigemus atque acriter adhibeamus. Quare quum in horum adjumentorum numero latinae linguae

studium postremo loco haberi non debeat, ad illam ego vos excolendam vehementer hortabar, ut quum ad juventutem in Collegiorum nostrorum scholis erudiendam mitteremini, per vos ex contemptione illa et despicientia, qua jamdiu ob praeposteram quamdam in publica gymnasia docendi rationem invectam opprimebatur, vindicata revivisceret, veteremque dominationem majestatemque recuperaret.

Pene sub ipsum institutionum mearum initium non sine magna animi mei voluptate sensi non in irritum recidisse hortatus hosce meos; vestramque in latina lingua excolenda assiduitatem alacritatemque demiratus egregie in ea vos proficere gaudebam, nihilque quod hujus linguae studio excitando, et magis in dies magisque fovendo amplificandoque expediret, mihi non pollicebar. Quam animo praeceperam spem exitus comprobavit. Illae scribendi exercitationes, in quibus quotidie versabamini, auream latinitatem redolebant, probatissimorumque latinitatis auctorum exempla exprimebant; atque ita exprimebant, ut quae ex illis majorem quamdam elegantiam stilique venustatem prae se ferrent, colligere non dubitaverim, ut in publicam lucem aliquando, si ita res ferret, edi possent, aliisque qui vobis in idem studium succederent, et exemplo essent et incitamento. Opportuna sese mihi exhibuit occasio: quum enim ex amicorum meorum hortatu atque etiam ro-

gatu, quae diversis temporibus partim animi oblectandi, partim stili exercendi caussa confeceram, carmina in unum libellum redegerim, et typis mandare decreverim, si nonnulla etiam ex latinis vestris epigrammatis meis hisce carminibus aduecterem, rem vobis non injucundam, ceterisque sodalibus vestris, qui in idem, in quo vos tunc eratis, studium incumbent, non inutilem fore putavi.

Atque ut ad hoc studium magis vos magisque excitarem, alium animis vestris stimulum admovere etiam volui, exemplum scilicet unius ex majoribus vestris ob oculos vobis proponere, quem, quum extremis hisce temporibus elegantissimae latinitatis laude floruerit, saepius a me vobis commemorari commendarique audivistis. Vincentium inquam Fugam, qui e Societate nostra, quoadusque ea stetit, fuit, fuissetque etiam post ejusdem restitutionem, si per aetatem et valetudinem ei licuisset Hujus nulli sui temporis poetarum secundi, et Procustodis inter Arcades munere diu laudabiliter functi, cujus ego amicitiam et familiaritatem, quoad vixit, carissimam semper habui, memoriam, postquam e vivis excessit, semper acerbam atque honoratam habebo, latina carmina ab ipsomet, paullo antequam moreretur, tamquam amantissimi sodalis μνημοσυνον accepi, eaque nunc vobis una cum meis vestrisque carminibus, adolescentes optimi, exhibeo, ut tanti vi-

ri in iis pangendis elegantia et diutissime, quoad fieri potest, in posterorum memoria exstet, et alacres apud vos imitatores nanciscatur. Ex multis, quae reliquit, carminibus pauca selegi, ut auctori suo morem aliqua saltem ex parte gererem, qui qua erat animi modestia suas hasce poeticas nugas flammis potius quam luce dignas esse dictitabat. Selegi autem nonnullos ex ejus sermonibus, quorum, quum eos in Arcadum doctissimorum conventibus recitaret, elegantiam et leporem illum vere latinum, vere Horatianum nemo summis cum laudibus non admirabatur, nemo ex iis, qui superstites adhuc sunt, non reminiscendo admiratur. Selegi etiam eclogas quasdam, et nonnulla alia Heroica carmina, quae in lucem nunquam prolata sunt, sed quae proferrentur jure digna erant: epigrammata denique, quorum pleraque ex graecis, quae in veteri Graecorum poetarum Anthologia legi possunt, latina fecit, quaeque jam ab anno MDCCCVI. Romae typis Caetanis ad montem Exquilinum nomine Salcesii Acidonii, ita enim inter Arcades voçabatur, una cum vernaculis quibusdam carminibus edita fuerunt: eaque heic addenda curavi, ne, quum pauca eorum exemplaria supersint, cum magno latinae poeseos detrimento interirent.

Habetis, optimi Adolescentes, quod pro vestra in me benevolentia atque alacritate, qua me humaniores vos litteras docentem audieba-

tis, munus rependere unice poteram: vestrum nunc est pro meo hoc in vos officio illud rependere, quod unice a vobis expeto ac requiro; nempe ut latinae linguae studium enixe, quemadmodum hactenus fecistis, in posterum excolatis, enixeque a vestris discipulis excolendum curetis. Valete.

PARS PRIMA

IOSEPHI PETRUCCI

E SOCIETATE IESU

CARMINA

LIBER I.

HEROICA

PENTHESILEAE MORS

EX LIBRO I. Q. CALABRI

ARGUMENTUM

Qui graecum hunc poetam Calabrum vocant, nomen ei faciunt a Calabria, ubi prope Hydruntem ejus poema manu scriptum a Cardinale Bessarione inventum fuit. Verius alii et eruditius vocant Smyrnaeum ejusdem poetae auctoritate freti, qui libro XII. de se ipse loquens ait: *ex quo ego adhuc imberbis in campis Smyrnae prope Dianae templum pascebam inclitas oves*: qui locus si minus certe atque evidenter, at non sine magna quadam probabilitate demonstrat, Smyrnaeum potius ex no-

mine patriae, aut saltem regionis illius, ubi adolescens pastoritiam vitam degebat, quam Calabrum vocandum esse, quod nomen ad locum magis, ubi hoc poema repertum est, quam ad ejus aucteris patriam pertinere videtur.

Quidquid de ejus nomine sit, videtur Rodomano hic poeta floruisse seculo a Virginis partu circiter IV., quum ejus stilus a Coluthi, Tryphiodori, aliorumque ejus aetatis graecorum poetarum stilo non admodum discrepet, licet majorem quamdam prae se ferat varietatem ac venustatem. Vulgaris hujus poematis titulus, parum sane poeticus, hic est: Παραλειπομενων; hoc est *Derelictorum ab Homero*, seu *Iliadis continuatio* in XIV. libros distributa: quorum primus a Penthesileae Amazonum Reginae opem post Hectoris mortem Trojanis ferentis Trojam adventu initium facit; totusque est in describendo ejus fortitudinem, editam ab ea Graecorum in praelio stragem, ac denique singulare ejusdem cum Achille certamen, in quo ab ejus hasta tandem transfossa concidit atque interimitur. Qui liber seorsum sumptus ποιημάτιον quoddam commode dici potest, atque inscribi *Penthesilea*, seu *Penthesileae mors*. Atque ita opinatus esse mihi videtur doctissimus et compluribus omnigena eruditione refertis voluminibus Clarissimus vir Caesar Marchio Lucchesinius, qui ab hoc primo Q. Smyrnaei libro occasionem arripere non dubitavit vernaculi il-

lius poematis conficiendi, in quo haud scio utrum etruscorum carminum elegantiam et numerum, an stili sublimitatem et magniloquentiam magis commendes: illud ego affirmare non dubitabo, inter poeticas Graecorum Poetarum interpretationes, quibus vernacula nostra poesis gloriatur, adeo excellere, ut maxime illustrem, ac tantum non principem locum obtinere videatur. Scio a nonnullis etiam aliis Graecum hunc Poetam vernaculis versibus expressum esse, quorum interpretationes, etsi magni illae quidem ab eruditis viris jure meritoque fiant, quum tamen non partem aliquam, ut latina haec nostra, et Lucchesinii vernacula, sed totum ejus poema complectantur, non est hujus a nobis institutae scriptionis commemorare. Plura, si cupis, de toto hoc poemate vide apud Cl. Cesarottum sub finem ejus ad Homeri Iliadem enarrationis. Illud Constantinus Lascaris maxime Homericum appellare non dubitavit: verumtamen etsi Homericam fortasse, aut non valde ab Homerica discrepantem ejus elocutionem esse dari possit, Homerica certe non est ejus inventio et dispositio, non Homerica illa et sententiarum et similitudinum redundantia ac pene farrago, in qua ejus aetatis poetae plerumque peccant; qui propterea inter Sophistas et Rhetores potius quam inter graecos primi nominis poetas recensendi sunt.

Atque ut de primo hoc libro, quem in lati-

na carmina convertendum suscepi, pauca delibem, licet et ipse in aliquibus locis tractationem ἀντιομηρικὴν redoleat, non desunt in eo descriptiones quaedam adeo pulcrae et vere poeticae, ut lectorem ad se alliciant et quodammodo rapiant. Quid enim pulcrius quam virgineus ille Penthesileae decor cum bellica fortitudine mire conjunctus? Quid magis naturae consentaneum quam Andromachae despicientia in Penthesileam superbius pollicentem se Achillem illum in praelio necaturam, cujus hasta vel ipse suus conjux Trojanorum Hector fortissimus misere occubuit? Quid magis ob oculos positum quam graphica illa hujus Amazonis cum vitula comparatio, quae in hortum custode remoto insiliens omnes ejus flores et gramina et germina pessumdat atque discerpit? Quid tam sublime aut magnificum quam horrifica illa Graecorum a Penthesilea absente Achille facta strages? Hippodamiae Trojanas mulieres ad aemulandam Reginae fortitudinem, atque arma in Graecos capienda instigantis sermo sapit nescio quid inauditae virtutis, virilisque animi excelsitatis. Theanus contra a tanta temeritate illas deterrentis allocutio prudentiam vere singularem et plusquam muliebrem praesefert. Mars denique e caelo in Idam magno cum armorum suorum strepitu descendens, ut filiae suae Penthesileae mortem ulciscatur, est Mars vere Homericus, aut Homerico illi Marti valde non invidet.

Hae aliaeque hujus libri dotes me ad illum in latina carmina convertendum impulerunt, non indignum putantem qui Virgilianis versibus non sine quadam stili dignitate ac magniloquentia exprimi posset. Atque eo libentius manum operi admovi, illudque enixius laborandum conficiendumque curavi, quo mihi commodius videbar ita auditoribus meis exemplum aliquod Virgilianae elocutionis posse proponere, eosque ita ad Poetarum omnium facile principem et avidius legendum, et expeditius imitandum inflammare.

Hector ut occubuit telo confossus Achillis,
Exsequiis magno cum fletu rite solutis,
Ingenti trepidare metu, atque in moenia Teucri
Confugere, et clausis vrbem defendere portis.
Ac veluti impasto pavidae occursare leoni
Non audent, et silva boves ubi densior, illuc
Confertim fugiunt, saevo sic Troes ab hoste
Tuta procul celeri tendunt in moenia cursu.
Nam subit Idaei quam multis ille Scamandri
Efferus ad ripas caput e cervice revulsit,
Palantes vel quot Trojae sub moenibus orco
Impulit, Iliacos circum vel ut Hectora muros
Dardanii decus imperii raptarit, et urbes
Quot bello phrygias per magnum everterit aequor,
Iliacas cladem quum primum ferret in oras.
Quae versant dum cuncta animis, non credere campo
Amplius, adversisque audent concurrere signis.
Horrisono interea miscentur moenia luctu,
Haud secus Argolicos quam si considat in ignes
Ilium, et ex alto ruat omnis culmine Troja.
Ecce autem patriis ultro digressa fluentis
Thermodontis adest vultumque habitumque Dearum
Penthesilea ferens, duplicemque in pectore curam.
Vrget amor bello Grajis concurrere, et altum
Vulnus alit venis; celeris vestigia cervae
Quod jaculo cursuque premens incauta sororem
Straverat Hippoliten: comitum nunc illa suarum
Irasque, et veteris metuens dispendia famae,
Dardaniam patriis urbem petit exsul ab oris,

Eluat ut tristem Grajorum sanguine labem,
Eumenidumque sacris placet sollemnibus iram,
Quae miserae caesam, quo se fert cumque, sororem
Ante oculos versant: sontes comitantur euntes
Namque illae semper, poenisque ultricibus urgent.
Bissenae dominam comites in bella sequuntur;
Hippothoe et Clonie, Polemusaque, Derionque,
Evandre, Antandreque, et dia Bremusa, nigrisque
Harmothoe spectanda oculis, et Derimachia,
Aleibieque, atque Antibrote, ingentemque coruscans
Thermodossa manu validis et viribus hastam.
Quas omnes tenet unus amor concurrere ferro
Grajugenis, pulcramque sibi per vulnera famam
Quaerere, praestantes animo et fulgentibus armis.
At qualis, medium tonitru quum rupta corusco
Tempestas aperit caelum, se clara videndam
Exhibet, atque ignes micat inter luna minores;
Aut roseis ceu mortales Aurora quadrigis
Exhilarans quum devexum conscendit olympum,
Auricomas longe forma supereminet Horas;
Talis Amazonidas vultuque et robore praestans
Vna alias Trojam se Penthesilea ferebat.
Tum vero circum Teucri funduntur, et alte
Evinctam suras ocreis, similemque Deabus
Indomiti sobolem Martis mirantur; utrumque
Namque inerat vultu, terrorque et gratia formae;
Illa autem dulci subridens ore ferebat
Huc illuc fulgentem aciem; vultumque rubore
Virgineum suffusa docet, quam gratior exstet
Mascula femineo virtus immixta decori.

Spes ergo arrectae juvenum, pulsusque parumper
Corde timor: ceu quum sitiens ardore dehiscit
Tellus, aërii si forte e vertice montis
Agricolae aequoreis aut Irim surgere ab undis,
Aut subita obduci videant caligine caelum,
Etsi animo fracti et suspiria longa trahentes,
Excipiunt laetoque omen clamore salutant;
Sic omnis luctu se Teucria solvit, in anceps
Vidit ut egregiam tendentem Heroida bellum.
Sollicitas adeo mortalibus addita curas
Discutit, et dulci tentat spes pectora motu!
Ipse etiam patriae fatis perculsus iniquis,
Quamquam multa gemit Priamus, spem protinus hausit
Exiguam, pressitque altum sub corde dolorem.
Qualis ubi, quem luce frui vis effera morbi
Non sinit in tenebris vitam luctuque perosum,
Aut ope Paeonia, aut praesenti munere divûm
Vix aciem intendit si quando in lumina solis,
Etsi oculis pestis nondum decesserit omnis,
Corda tamen longo relevat moerentia luctu;
Talis in invicta defixus Virgine tollit
Laomedontiades animos; non omnis abacta
Cura tamen: natorum acri stant fixa dolore
Tristia quae patrios foedarunt funera vultus.
Reginam interea simul in sublimia ducit
Tecta, simul, reducem in patrios post longa penates
Tempora ceu natam exciperet, convivia luxu
Munifico indicit, confectis qualia bellis,

Et domitis celebrant populis sollemnia Reges:
Tum donis cumulat magnis, majoraque spondet,
Ferret opem fractis si duro in tempore Teucris.
Illa sibi facinus sumit, circumdare flammis
Grajugenûm puppes, nemo et quod crederet, ipsum
Aeacidem in media prosternere caede Pelasgûm.
Demens! quae cunctis hasta quam praestet Achilles
Nescit, eam Andromache clari genus Eetionis
Audit, et haec tacito secum sub corde volutat:
Infelix, nequidquam animis elata superbis
Grandia quid jactas? non, magnanimo Pelidae
Ut certare queas, tanta est tibi pectore virtus.
Quis miseram exagitat mentem furor? ille sub imos
Te, reor, impellet manes, vis ultima fati
Quam duri manet, et stygiis nox circumit umbris.
Hector enim longe te fortior; ille, Deorum
Quem Teucri similem votis precibusque solebant
Excipere: Aeacidae tamen is confossus ab hasta
Occidit, et totam contristat funere Trojam.
O patriaeque meique decus, dum vita manebat,
Nunc miserande jaces! utinam suprema tulisset
Troja mihi prius, infesto quam vulnere terram
Confossus patriam petiisses ore cruento!
Non ego te celeri raptatum moenia circum
Vidissem Aeacidae curru, non conjuge tanto
Dejectam, qui me intactam sibi junxit, haberet
Tam ferus, et nullo delendus tempore luctus!
Hectoris haec secum memorans pulcherrima fun...
Andromache reputat castas nam caede vir...

Nil magis uxores stimulis incessit acerbis.
At rapido interea se per declivia motu
Circumagens caeli Hesperiis sol mergitur undis.
Ergo epulisque fames ubi pulsa sitisque lyaeo,
Audaci famulae Reginae mollia lecti
Strata parant Priami celsis in sedibus: illa
Procubuit, dulcemque dedit per membra quietem.
Heic miserae aetheriis speciem demisit ab astris
Pallas, quae Marti vultumque habitumque parenti
Assimilis falsi mulceret imagine visus
Incautam, fortique manum conferre juberet
Aeacidae: demens, quae vanis credula formis,
Somnia fallaci quales sub vespere fingunt,
Confidit, cladem que sibi Teucrisque paravit!
Iamque adeo reputans Grajas urgere phalanges,
Pelidaeque necem, et caedem molita Palasgis,
Mollibus, aurorae primo surgentis in ortu,
Prosilit e stratis, fulgentiaque induit arma,
Quae pater ipse olli dederat pulcherrima Mavors.
Principio suris ocreas candentibus aptat
Auro intertextas, varium dehinc pectora circum
Thoraca, atque humeris ingentem subligat ensem,
Quem perfecta ebore, et rutilans vagina tegebat
Argento: laeva clypei tum sustulit orbem
Fulgentem atque amplum, sinuantur qualia lunae
Cornua, quum curvo turgescens orbe renidet:
Hinc habilem capiti galeam, cristisque decoram
Induit auratis. sic se letalibus armis
Circumdat; luce exsultans atque horret ahena
Bellatrix: tremulum nubes ceu Iuppiter ignem

Quum rutilas inter torquet, magnumque fragorem
Ventorum, aut largi strepitum denunciat imbris.
Mox altis properans prodire e sedibus, hastas
Sub clypeo geminas tollit, dextraque bipennem
Ancipitem, quam trux olli Discordia, firmum
Vt foret ambiguis dederat tutamen in armis.
Turribus hinc celeri sese pede proripit altis,
Hortaturque moras rumpant pugnaeque parent se,
Dardanidas: sumptis Reginae protinus armis
Delecti Teucrûm proceres praecepta facessunt:
Nec, prius indomita cunctos qui terruit hasta,
Imparibus Pelidae armis certare recusant.
Illa autem manibus forma praestantis habenas
Flectit equi, Boreae quem magno in munere conjux
Olli, Threicias quondam quum viseret oras,
Orithyia dedit, Harpyias praepete cursu
Vincentem, hospitii monumentum et pignus amoris
Quem fastu tumefacta premens, atque alta relinquens
Tecta urbis, primam (tristis namque urget Erinnys)
In pugnam extremamque ruit: comitantur ovantem
Confertim; praeeunte pecus velut ariete pastor
Quum premit, heu nunquam redituri in moenia Teucri.
Ac veluti ad pugnam Pallas domitura Gigantes
Quum ruit, aut densas Discordia tetra phalanges
Qualis obit turbasque serens et crimina belli,
Talis Amazonidum Troumque ad bella cohortes

Virgo rapit. Senior tum vero sustulit ambas
Laomedontiades palmas ad sidera, spectans
Idaei delubra Iovis, patet Ilios olli
Vnde omnis, tristique preces has pectore fudit.
Magne meis Genitor faciles da vocibus aures:
Da pubem Argolicam Reginae occumbere dextra
Martigenae, incolumemque ipsam in mea tecta re-
verti.
Ille, tuum genus, hoc Mavors, hoc ipsa Deabus
Et genere et forma non impar Virgo meretur.
Me quoque, cui natos Grajo sub marte peremptos
Tot Parcae abstulerunt, me respice Iuppiter; et dum
Dardanio pauci superant de sanguine; Grajis
Exscindi nec dum potuerunt Pergama telis,
Da requiem misero, bellumque averte cruentum.
Talibus oranti complentique aethera votis
Ecce seni laeva fulvus Iovis advolat ales,
Semianimemque tenens eviscerat ungue columbam.
Obstupuit, monstroque senex perculsus iniquo
Virginis instantem praesago pectore caedem
Extimuit gemuitque: die nec serius illa
Debita complentes Reginae fata superbae
Tristia terribiles docuerunt omina Parcae.
Parte alia procul Argivûm stupet inscia pubes
Trojugenas mirata acies in bella ferarum
More rapi, facto quum plenas agmine caulas
Invadunt; ast ante omnes os Virginis ardens
Mirantur, quam per medias tumidamque minacemque
Ardor agit turmas: ceu quondam arentibus ignis
Quum furit in silvis, glomeratque incendia ventus.

Atque aliquis dubia collectos mente sodales
Sic prior alloquitur: nam quis post Hectora caesum
Trojugenas in bella rapit, quos credere campo
Amplius haud aequo rebamur velle? feruntur
Praecipites animi nunc illi in praelia: versans
Certe aliquis medios sese inter, inertia corda
Exacuit: magnis si res spectetur ab orsis,
Certe aliquis Deus est. At vos fiducia vestri
Nunc animi teneat, socii; nunc obvia ferte
Arma viris: fertis nec vos sine numine Divûm.
Sic aliquis Grajos inter memorabat: at illi
Accincti confestim armis, et robore septi
Indomito e curvis sese effudere carinis.
Nec mora: vulturii ceu foeda cadavera circum
Quum rostra immiscent rostris atque unguibus ungues,
Sanguineam sic Troum acies, aciesque Pelasgûm
Invadunt pugnam: collisaque cominus armis
Arma sonant, galeaeque graves, hastaeque trementes,
Taurisque intexti clypei: densantur utrinque
Funera; purpureo madet Ilia sanguine tellus.
Continuo fortemque Moliona, Persinoumque,
Lernumque Antitheumque infesto vulnere sternit
Penthesilea furens, et cum valido Elasippo
Ilissumque, Hippalmumque, Aemonidemque superbum:
Laogonum tum Derione, Clonieque Menippum,
Iliacas comitem quem Protesilaus in oras
Duxerat e Phylaca, letali perforat ictu.
Indoluit cari leto peculsus amici,

Inque ruens Clonien furiata mente Podarces
Fulminea ventrem Iphiclides perfodit hasta.
Illa rapit telum, rupto sed viscera ferro
Funduntur, sequiturque ater de vulnere sanguis.
Tum vero medios se Penthesilea per hostes
Fert animi praeceps, stragemque ultura sodalis
Contorquet praelongam hastam: volat illa Podarcis
In dextram, secuitque tumentes sanguine venas.
Ast illum fidi Phylacenses aegra trahentem
Genua ferunt moesti ad naves, mors occupat atra
Involvens umbra, et caros frustratur amicos.
Tum valido Idomeneus torquens hastile lacerto
Et dextram ferit ad mammam sternitque Bremusam.
Ac veluti aërio contingens vertice nubes
Fraxinus, impacto caedit quam rustica ferro
Hinc atque hinc pubes, magno convulsa fragore
Concidit, et strepitu late nemora alta resultant;
Haud secus illa gemens procumbit; frigore corpus
Solvitur, et tenues se vita immiscet in auras.
Evandram dehinc Meriones, mediosque per hostes
Thermodossam acri sternentem corpora dextra
Dejicit; huic hastam venienti in pectus adegit,
Ast illam infixo ventrem ferit ense sub imum.
Inclyta Derionem proles tum sternit Oilei
Impellens, humeris qua cervix jungitur, hastam.
Alcibie cadit inde et Derimachia, micanti
Nam gladio ex humeris cervicem obtruncat utrique
Tydides; ceu quum geminae, quibus icta securi
Abscissis longe cervix micat ardua nervis,
Ante aras vitulae procumbunt; sic procul illis

A capite avulsi jacuere in pulvere trunci.
Heic Sthenelus media bacchantem in caede Cabirum
Sternit humi, auxilio Teucris quem Sestos ovantem
Miserat, at reducem nunquam post bella revisit.
Tunc Paris infremuit, dextraque hastile reducta
Connixus jacit in Sthenelum; sed figere contra
Haud valet: in fortem nam telum Evenora Parcae
Dulichio cum Grajugenis ad bella profectum
Flexerunt: magni cuspis texta aerea baltei
Permeat, absumitque alieno vulnere vitam.
Non tulit egregium prosterni impune sodalem
Phylides; perque arma, leo ceu nocte sub alta
Ille ovium stimulante fame quum septa pererrat,
Perque viros ruit, et trepidis sese hostibus infert
Turbidus: Itymoneum dehinc, ingentemque Agelaum
Dejicit Hippasiden, Mileto signa sequuti
Qui simul Amphimachi, cum Nasta adversa minantur
Agmina versuros Danaûm excidioque daturos.
Post hos qui Mycalen, Latmi et juga candida, longas
Et Branchi valles liquere orasque Panormi,
Maeandrique sinus, Phrygia qui lapsus ab alta
Implexum per iter sese provolvit, humumque
Vitiferam Carum liquidis interluit undis;
Hos omnes, super atque alios quot fervidus hasta
Assequitur, tot nigra Meges sub tartara mittit:
Indomitam namque ipsa viro Tritonia Pallas
Vim dedit exitium Teucris molita catervis.

En ruit in medios Polypoetes Martius hostes,
Dresaeumque necat, forti quem dia Neaera
Thiodamanti olim thalamo sociata, nivali
Sub Sipylo genuit; Nioben ubi Numina rupem
In rigidam vertere: etiam nunc anxia caesis
Illacrimat natis, etiam nunc marmora fletu
Irrorat luctumque ciet: longe assonat Hermi
Vnda gemens; gemitu Sipyli juga longa resultant.
Illa quidem nebulis nunquam non tecta tuenti
Eminus objiciunt, visu mirabile monstrum,
Confectam luctu Nioben, fletuque madentem
Assiduo; at propius praerupti fragmina montis..
Talia per campos dum Graji et funera Troes
Edebant, cuneis motu turbante Tumultus
Vertitur in mediis: sequitur Mors dira, trucesque
Discurrunt, stragemque ferunt circum agmina Parcae.
Caedentum exoritur clamor, gemitusque cadentum;
Acrior Argivas nam Penthesilea phalanges
Vrget, quo pugna asperior, propiusque periclum.
Qualis ubi tauris rapido lea concita cursu
Saxa per et nemorum anfractus fugientibus instat,
Immanique super captis accumbit hiatu,
Haud secus in Danaos Virgo ruit: agmina cedunt
Ingenti turbata metu; cedentibus ardens
Imminet, et totum trepidos agit illa per aequor.
Tempestas veluti si quando turbida ponto
Incubuit, celerique inflantur carbasa vento,
Aequora raucisono per procurrentia motu
Praecipites fert unda rates: saxa ardua pulsat
Fluctus, et extremam spumis perfundit arenam.

Nec versas modo cursu acies telisque fatigat
Virgo furens, etiam dictis incessit amaris.
Hac Priamo vos luce, canes, pro funere poenas
Hectoreo dabitis: nullum haec evadere caedem
Dextra sinet; nullum patrias dimittet in oras,
Vxorem parvaque senes cum prole parentes
Visurum: dederit postquam sed corpora leto,
Alitibus phrygiis inhumata infletaque tradet.
Quo nunc Tydides abiit? quo strenuus Ajax?
Pelidesque ferus? nulli virtute secundos
Quos perhibent: non mecum illi committere pugnam
Audebunt, ne mox nigrum mittantur in Orcum.
Sic ait, et ferro quae proxima quaeque furentis
Parcae instar metit, ingenti nunc illa bipenni
Ingeminans ictus, nunc telo: discolor olli
Confertam jaculis pharetramque, arcumque sonantem
Gestat equus, sollers siquando posceret usus
Vulnificas torquere incerto Marte sagittas.
Virginis interea exemplum eventumque sequuti
Hectoris incurrunt fratres acresque sodales;
Atque ipsum indomito spirantes pectore Martem
Fulmineis hostes media inter praelia telis
Impellunt funduntque solo: velut arida silvis
Lapsa cadunt folia, aut nigris e nubibus imbres,
Haud aliter Danaûm sternuntur inertia passim
Corpora: confusae tellus sub stragis acervis
Ingemit, immixtaque cruor calcatur arena.
Ipsi etiam fodiuntur equi, et terram ore cruento

Aut feriunt, aut extremis hinnitibus auras
Semineces implent; crebro quos ungula pulsu
Cum dominis mixtos Teucrûm proculcat equorum.
  Hac in caede fremunt Troes gaudentque tuentes
Reginam in morem bacchari turbinis atri,
Quum ruit in pelagus, pressos ubi Phoebus ad Austrum
Flectit equos: aliquis vana et spe turbidus inquit:
Certe aliqua, o socii, a nobis stat Diva; Iovisque
Adstitit imperio, sortem miseratur iniquam
Qui Priami, meminitque suo de sanguine cretum.
Non os, non illi robur mortale, nec arma
Mortali in Danaos quassat fulgentia dextra.
Armisonam reor auxilio subiisse Minervam,
Aut Irim Teucris, aut implacabile numen
Bellonam, aut gaudentem arcu jaculisque Dianam.
At Danaûm, quaecumque est illa, e sanguine poenas
Iam sumet; flammisque rates crepitantibus uret,
E patriis secum quas advexere Mycenis
Excidio Priamique urbem gentemque daturi
Immeritam: sed erit profugis patria invia, dulces,
Spero equidem, et phrygio fundent in littore vitas,
Tanta favet nobis quoniam Dea. jactat inanes
Sic aliquis voces; nec, demens! gaudia ventos
Ferre videt, nec quam tristi Teucrosque furentemque
Exitio Reginam atrox Fortuna reservet.
Tanta etenim nondum misceri praelia norant
Magnanimusque Ajax et bello clarus Achilles;
Namque Menoetiadae flentes fusique jacebant

Ad tumulum, cari memores post funus amici.
Hos aliquod saevo procul ab certamine Numen
Arcebat, reor, ut Danaûm, quibus ultimus esset
Ille dies, multos Virgo daret inclyta leto.
Illa igitur nondum exsaturata aut fracta tot Orco
Immissis Danaûm, profugis jam cuspide tergum,
Iam pectus fodit adversis; semperque recenti
Caede tepens valida quot dextra conjicit hastas,
Tot Danaos prosternit humi: Parca effera vires
Addit adhuc, rituque adamantis corpora firmat
Nube latens, pugnamque procul mirata cruentam:
Pelidae nam tempus adest quo destinet irae,
Et miseram trahat ipsa manu in sua fata puellam;
Vim tamen indomitam nulli nunc visa ministrat,
Vt ferat extremum eximiae virtutis honorem.
Ergo, ut vere novo custodem nacta remotum,
Et teneris illecta satis et mitibus herbis
Bucula pomiferos errans irrumpit in hortos,
Et nova jam pedibus jam morsu germina vastat;
Haud secus Argivûm Virgo Mavortia ferro
Hos metit, hos dare terga fugae palantia cogit.
Hanc procul ex altis bacchantem in caede tuentur
Moenibus Iliades: tunc belli exarsit amore
Antimachi genus Hippodamia et nobilis uxor
Mneptolemi, mediam quae sese matribus infert
Dardanidum, dictis acuens audacibus iras.
Quidni vos etiam virtutem animosque viriles
Sumitis? ut totidem nobis animaeque manusque,
Vt nobis aeque patet aura, et vescimur aeque
Muneribus terrae; ut cunctis lux una refulget,

Cur non robur idem, similesque ad grandia vires?
An dederunt Dî plura viris, ut praelia soli
Miscentes patriae pellant a moenibus hostes?
An non ingenti pulsos cum caede Pelasgos
Cernitis? una tamen tanti dux femina facti est;
Una viris praestat: nec caros illa propinquos,
Nec patriam tutata suam, precibusque vocata;
Ast ultro externo bellum pro Rege lacessit.
Et nos, vile genus, queis tot sub moenibus altis
Occubuere viri bello, natique patresque;
Argolicis quas fors servitum matribus hostis
Mox rapiet, celsis nos heic e turribus illam
Pro nobis duro vitam sub marte pacisci
Spectamus securae, et moenia tuta fovemus?
Non ita; sed gravior belli queis caussa gerendi
Incumbit, capite arma manu atque invadite pugnam
Iliades: praestat phrygiis occumbere campis,
Quam capta cum prole pati, post Pergama flammis
Eversa, Argivoque viros sub marte peremptos,
Servitium victoris heri fastusque superbos.
His dictis arrecti animi succensaque corda
Iliadum: jam se certatim hortantur in arma,
Auxilioque subire viris in praelia poscunt.
Ac veluti quum purpurei sub tempora veris
Continuo coit agmen apum, ardescitque reclusis
Emitti caveis: oras et limina circum
Fit sonitus, mussatque favis inclusa juventus;
Haud secus Iliades simul omnes arma requirunt,
Arma fremunt, calathisque procul cum vellere jactis
Effundi portis in bella patentibus ardent.

Et fors Iliadas patriae sub moenibus omnes
Threiciis cum Virginibus lux illa tulisset:
Ast annis gravis atque animi matura Theano,
Heu miserae cives quo nunc, quo tenditis? inquit;
Praelia vosne istis ignota lacessere dextris?
Vos bello expertis Danais concurrere? quo vos
Praecipitat novus iste furor? ne fortia facta
Incautas fallant, et non imitabile nobis
Robur Amazonidum. primis vestigia plantis
Vix illae insistunt, teneri pro lusibus aevi
Exercentur equis, atque arma virilia tractant:
Hinc membris vigor, hinc animis illa inclyta bello
Suppetit, auxilioque virûm nihil indiga virtus.
Illam autem, quae tot ferro dat funera, cretam
Indomiti perhibent Martis de sanguine; nec fas
Nostrum aliquam miscere alacris se Virginis armis,
Cui genitor Deus, et faciles Dî vota secundant.
Una viris, esto, et nobis communis origo:
At non munus idem: quae cuique est notior usu,
Qua pollet praestatque aliis, hanc quisque secet rem.
Abjicite ergo arma, atque opera instaurate Minervae
Troades: arma viri tractent, queis bella gerenda:
Nec frustra, reor, illa gerent: jam praelia victi
Deseruere hostes; nec dum tam cominus armis
Nos Danaus premit, ut sit opis res indiga nostrae.
Sic ait; Iliadumque animi et rabida ora quierunt.
Consiliis parent, pugnamque ex urbe cruentam
Prospectant. Danais at spes evadere letum
Nulla super: trepidis non segnius instat Amazon

Exsultans, quam quae pecudes crudelius inter
Tigris hiat, quo caede solum respergitur atra
Vberius, resonatque magis balatibus aether.
Iam nulli est animus certare aut sistere contra:
Pars arma abjiciunt, tecti pars corpora scutis
Diffugiunt: retro bijugi clamoribus acti
Excutiuntque duces rapiuntque ad littora currus.
Dira fremunt Troes successu caedis ovantes;
Triste gemunt jam jam caedendi a Virgine Graji,
In primam quoscumque aciem mala numina ducunt.
Qualis ubi arboribus magno cum murmure nimbus
Incumbens aut sternit humi ab radicibus imis,
Aut medios frangit truncos; it stridor, et alte
Consternunt terram disrupto caudice rami;
Sic Danaûm late volvuntur corpora campis
Numine fatorum prostrata et Virginis hasta.
Iamque adeo littus Teucri classemque subibant
Argolicam, laturi inimicum puppibus ignem.
Quum subito excitus belli clamoribus Ajax
Pelidenque vocat, trepidoque haec ore profatur.
Pelida armipotens, ingens it clamor ad auras,
Qualem edunt bellantum acies, ubi saevior ardet
Pugna: moras ergo rumpamus Teucra priusquam
Pubes ad naves fugientes caedat Achivos,
Classisque Iliacos Danaûm considat in ignes,
Ne patribus nos dissimiles ulla arguat aetas
Ab Iove progenitis, qui cum magno Hercule quondam
Laomedonteae ceperunt moenia Trojae:
Quam nos, spero, etiam fundo vertemus ab imo
Tantorum decore erecti exemploque parentum.

Sic ait, et dictis paret Peleïus Heros:
Ipse etiam nam bellantum illaetabile murmur
Audierat; properantque ambo fulgentibus armis
Accingi, adversoque incurrunt protinus hosti.
Arma sonant humeris; qualisque in praelia Mavors,
Quo praeceps rapit ira, ruunt; quatit Aegida Pallas
Horrificam, atque animos praesenti numine firmat.
Tum vero revocantque animos, moestumque timorem
Abjiciunt Danai, dura in certamina cernunt
Vt geminos audere duces, immania quales
Corpora Aloidae superaddere Pelio alto
Ossam ausi, atque Ossae frondosum involvere Olympum,
Adjectis superas petierunt montibus arces.
Illi autem flammas cupidi prohibere carinis
Ocius horribiles visu victoribus adstant
Trojugenis, nulloque edunt discrimine caedem.
Ut duo, taurorum exitium, si forte leones
Ire gregem nullo saltus pastore per altos
Conspexere, avido discerpunt ore trahuntque
Molle pecus, vacui rabies dum saeva quiescat
Ventris, et exhausto saturentur sanguine fauces;
Sic gemini Troum versant turbantque phalanges
Heroes. primas Ajax ibi Deichon Hyllumque
Ante acies sternit, bellique cupidine captum
Eurynomum, similem superis et Euyea, stricto
Ast in Threicias Pelides ense puellas
Irruit; Antaudrenque ferox obtruncat, et acrem

Antibrotem, Polemusamque, Hyppothoemque furentem,
Et comitum e numero superantem Virginis unam
Martigenae Harmothoen: densum tum fertur in agmen,
Multa hostes Telamoniades ubi caede cruentus
Vastabat; junctoque neci dant impete Teucros,
Quam facile, immani reboat quum murmure ventus,
Flamma vorat silvam, sumuntque incendia vires.
Vidit ut armipotens quos Penthesilea ferarum
In morem turbare acies, exarsit in iras,
Immissisque utrique furens incurrit habenis.
At veluti immanis silvam quum Pardalis altam
Ingreditur saevae stimulans se verbere caudae;
Venantes stant freti armis, et dira frementi
Obvertunt summis adnixi viribus hastas;
Sic gemini arrectis assultum Virginis armis
Aeacidae immoti nisu opperiuntur in uno:
Tum demum, propius subiit quum Virgo, movent se,
Quo late horrendum motu dant arma fragorem.
Illa prior longam Pelidae conjicit hastam,
Vulcani conflata manu quae verberat aera
Nequicquam, et clypei diffracta umbone resultat.
Non cessit tamen; intorquens sed missile telum
Ajaci, tumido sic ore utrique minatur:
Non, si prima abiit vacuas pulsa hasta per auras,
Haec vos vitata patietur morte superbos
Ire diu, licet haud bello praestantior alter

Sit vobis inter, si vera est fama, Pelasgos;
Sed Teucrûm vestra luctum mox caede levabit.
Iam mecum conferte manum, ut quid dextera bello
Possit Amazonidum experti videatis, et ipsis
Quam praestem virtute viris, cui non genitor vir,
Sed qui gaudet inexpletum Mars caede virorum.
Haec fatur dum Virgo, illi dum turgida rident
Verba, volans Ajaci allabitur aerea cuspis,
Qua solido suras argento incluserat; alte
Sed cuperet quamvis inimico in corpore mergi,
Pertulit haud ultra vires: hostilia quando
Tela viri fato nequeunt haurire cruorem.
Femineas ergo ille minas et verbera temnens
Antevolat, Teucrûm, qua densius agmen, et uni
Sumendas linquit Pelidae a Virgine poenas;
Cui fore magnanima quamvis ex hoste triumphum
Tam facilem putat, aërio de culmine visam
Quam facile accipiter sequiturque tenetque columbam.
Tunc hastas frustra ob pulsas immane furenti
Ingruit, et saevo Pelides pectore fatur.
Quid demens gestis mulier? quid jurgia jactas
Irrita? mox dextra illorum mittenda sub orcum,
Ab Iove queis genitis nullus se conferat heros;
Nec sese impune armatis tulit obvius Hector,
Ille armis Hector praestans et praepete cursu;
Sed trepidans quoties in bella infesta ruentes
Cerneret, hac tandem trajectus concidit hasta.
Nae furiis agitur tibi mens, quae viribus audes
Non superanda tuis, nobisque extrema minaris,

Quae te fata premunt: non te tuus ille cruento
Mars pater eripiet leto; sed cerva leonem
Nacta velut patriae nemora inter frondea silvae,
Hac fodiere manu, fulvaque jacebis arena.
Aut nunquam ille tuas Pelides venit ad aures,
Qui Xanthi ad ripas tot fortia corpora Teucrûm
Fudit humi, aut laeva abstulerunt tibi Numina
mentem,
Ocius ut Stygias ageret te Parca sub umbras.
Haec fatus magnis contorsit viribus hastam
Fraxineam, ingentem, sollers quam fecerat olli
Phyllirides: dextram super illa allapsa papillam
Haesit, virgineumque infecit sanguine pectus.
Continuo languet Virgo, manibusque securis
Excidit: horrificis oculos nox atra tenebris
Circuiit; ingentesque haerent sub corde dolores.
Non tamen abscessit membris vigor omnis; at illum
Prospectans propius subeuntem, ipsamque volentem
Deturbare solo, secum ipsa volutat, eodem
Magnanimumne hostem opperiens interrita nisu
Vagina eripiat, venientique offerat ensem;
Desiliens an tentet equo protendere dextram
Victori, atque auro (quo non praesentius ullum
Infensos animos munus lenire) furentem
Molliat exhibito; aequaevae si forte puellae
Cura animum tangat, seque in sua regna remittat.
Atque haec Virgo Deûm laevo dum numine versat,
Ecce hostis super adstat atrox, telumque coruscans
Quadrupedemque ipsamque uno transverberat ictu.

Qualis ubi verubus figit qui viscera flammis
Torrenda, ut laetis properet convivia mensis;
Aut cervum ceu quum saxo speculatus ab alto
Venator jaculum intorquet: trans ilia fertur
Trans uterumque feri telum, servansque tenorem
Figitur adverso frondosae in cortice quercus;
Haud secus Aeacidae cum bellatore puellam
Transadigit fera cuspis equo: ferit illa cruento
Ore solum, atque atro vitam cum sanguine fundit.
Non tamen indecori revoluta in pulvere lapsu
Olli membra jacent; positu sed venter honesto
Porrigitur resupinus humi, ferrumque retractat
Dextra micans, cervixque in equum collapsa recumbit.
Ut Boreae quondam vi vulsa in vallibus imis
Celsa jacens abies late protenditur, ingens
Quam decus ipsa sibi fontem prope silva liquentem
Nutribat: volucri sic quadrupedante virago
Ad terram non sponte fluens prosternitur hasta
Infracta; extinctae nec dum sua forma recedit.
Tum vero trepidi dejecta Virgine Troes
Terga dare, et magno turbari pectora luctu.
Deprensis ut quum Boreas medio aequore nautis
Ingruit, et puppi tumidas exturbat in undas;
Si qui altum vasto nantes in gurgite littus
Prospexere, illuc summa nituntur opum vi,
Amissos moesti ob socios mersamque carinam;
Sic domitam flebant conversi in moenia Troes
Invicti sobolem Martis civesque peremptos.
At ferus insultat caesae, atque haec insuper addit

Pelides: canibus nunc atro in pulvere, Virgo,
Praeda jace: namquis mihi te concurrere campo
Impulit, infelix, quo non praestantior alter,
Seu Danais res auxilium, seu funera Teucris
Ferre velit? reducem ten' posse in Teucra reverti
Moenia sperasti, demens, et magna referre,
Ob caesos tibi quae Priamus promiserat hostes,
Munera? jamne vides vanis ut Numina coeptis
Abnuerunt? i, linque colum tenuemque Minervam,
Ipsis bella viris et formidanda capesse.

Sic ait, eque fero, strataque e Virgine telum
Dum rapit, extremis micuerunt motibus artus.
Tum galeam insignem cristis rituque micantem
Fulguris eripuit capiti, vultumque retexit,
Eximium forma vel in ipso funere vultum,
Cui neque putris adhuc oris decerpsit honorem
Pulvis, nec patulo labens e vulnere sanguis.
Qualis ubi jaculoque feras cursuque per altos
Fessa sequi montes, positis Diana sagittis
Procumbit, teneraque latus submittit in herba,
In tenues caput inflectens accline sopores;
Talis erat species dejectae Virginis: artus
Per pulcros talem indiderat Venus aurea formam,
Vt carum ob natae moerentem funera Martem
Erigeret; saevique animum torqueret acerbo
Aeacidae luctu. circum undique fusa juventus
Graja stupet: nequeunt leniri corda tuendo
Non sibi tam pulcram in connubia laeta puellam
Servatam: stupet ante alios Peleïus Heros
Multa gemens, talem saeva quod straverit hasta,

Nec thalamo in patrias sociandam advexerit oras.
At sobolem moerens immiti morte peremptam
Mars saevit, luctuque furens ex aethere summo
Labitur in terras: dextra non ocius illo
E Iovis erumpit fulmen, liquidosque profundi
Igne secat rapido tractus, nigrasque procellas
Fert secum, aut magno latas super impete terras
Evolat, et tonitru quatit alti culmen Olympi.
Olli, dum caeli tacitus spatiatur in aula
Edoni proles Aquilonis protinus Aurae
Adstiterunt, natae crudelia fata docentes.
Ergo ululans, nimbique modo delapsus in Idam,
Constitit horrendumque illisis increpat armis:
Dissultant valles, sonitu tremefacta recedunt
Flumina, concutitur fundo mons totus ab imo.
Atque adeo immani vastasset caede phalanges
Myrmidonum, crebris ni rubro ex aethere jactis
Fulminibus (volitant olli quae plurima semper
Ante pedes) nati procedere longius iras
Iuppiter, et saevire animis vetuisset acerbis.
Ille infesta licet properans in bella, parentis
Agnovit jussus, fremituque exterritus haesit.
Ac veluti aërio montis de vertice rupes,
Quam fera ventorum vis ab radicibus imis
Avulsit, jugi vel lapsu turbidus imber
Solvit, in abruptum magno ruit acta fragore,
Exsultatque solo, dum valli illisa jacenti
Sistit iter praeceps, terraeque invita recumbit;
Sic Mavors non sponte stetit; secumque volutat,
Num Iovis imperio, in superos cui summa potestas,

Pareat, evadatque minas et fulminis iras,
In sedes sese referens stellantis Olympi;
An ferro Aeaciden, Patris nil fulmina curans,
Invadat, poenasque inimico a sanguine sumat.
Atque haec ancipiti versat dum pectore, vitam
Tot natos fudisse Iovis succurrit in armis,
Nec tamen auxilio tantum subiisse parentem.
Ergo abiit, posuitque animos: nam norat in iras
Quam subitas Pater assurgat, nigrumque sub orcum
Luctisono meminit Titanas fulmine jactos.
Interea caesis dum Teucris Graja juventus
Arma rapit, spoliisque inhiat, defixus in uno
Aeacides vultu dejectae Virginis haeret;
Nec minus, ereptum flebat quam nuper amicum,
Illacrimat caesae miser, aegrescitque tuendo
Exanimem, sed adhuc forma praestante puellam.
Improbus heic illum dictis castigat acerbis
Thersites: tibi quae, vecors, mala Numina mentem
Sollicitant, miseram doleas ut Amazona Grajis
Infensam, nostraque etiam nunc caede madentem?
Nae tibi femineum turpi praecordia flagro
Vrget agitque genus, caesae quem cura remordet
Virginis, egregiam ceu si tibi Parca puellam
Eriperet mutans optatas funere taedas.
Atque utinam quae caesa animum rapuit, tibi vitam
Praecepto pugnans rapuisset! mollia corda
Cui duri (heu pudor!) oblito certamina Martis
Femineus sic torquet amor. quo vivida virtus
Illa tibi, quo digna viro mens principe cessit?
Num capitis nescis incesti crimina luctu

Quo steterint Teucris? adeo vel fortia quondam
Pectora, vecordes animos ubi femina cepit,
Dedecorat prona in Venerem frangitque voluptas!
Pugnaci labor usque viro et victoria cordi est:
Vna Venus contra Mars vester, vestraque tantum,
Degeneres animae, in nocturnis gloria bellis.
Talia jactantem dictuque indigna canentem
Non tulit Aeacides; validaque arrectus in ictum
Dextra aurem malamque ferit: cum sanguine dentes
Ille vomit labens: solvuntur inertia leto
Membra, fugitque nigras inglloria vita sub umbras.
Tollitur in caelum clamor, gaudetque perempto
Graja viro pubes, qui multis ipse notandus
Criminibus, cunctos digna atque indigna relatu
Vociferans suerat foedis proscindere dictis:
Vnaque vox cunctis; scelus expendisse merentem,
Tot Danaûm impuro proceres qui laeserit ore.
Cui super Aeacides haec addit turbidus: isthic
Nunc vesane jace; et Grajos deterrimus inter
Quum sis, pone modum stultis incessere probris
Insignes virtute viros. quae nuper Vlyssi,
Dum foeda in Regem fatuae convicia linguae
Ingeris immeritum, non haec patientia nostro
Ingenio; Aeaciden aeque non, improbe, noras,
Assurgens tenui qui te prosterneret ictu
Supplicia insanis pensurum debita dictis:
I nunc, i stygias fatuus clamator ad umbras
Hinc procul, et lingua manes incesse dicaci.
Interea laetos Diomedes inter Achivos
Indigna solus Thersiten morte peremptum

Clamat, acerba fremens. Scindit se sanguine ab uno
Nam genus amborum: Thersiten optimus augur
Magnanimi frater generaverat Agrius Oenei;
Ast Oeneus Tydeo pater est: Diomedea Tydeo
Deiphile insignem bello edidit Adrastine.
Iamque, tuens torvo Peliden lumine, dextram
Sustulit in vulnus: ferrum non segnius ille
Vagina eripiens venienti offerre: ruentes
Inque vicem jam pugnam ineant et praelia tentent,
Ni dirimant Danaûm primores mollibus iras
Consiliis, indignum animis discordibus inter
Se saevire rati geminos virtute secundos
Haud ulli Reges. moniti meliora sequuntur
Olli, ensesque abdunt vagina, irasque remittunt.
Iamque oratores Teucri tentoria Grajûm
Velati subeunt olea, Atridasque rogantes;
Threissae corpus sinerent exsangue puellae,
Et comitum Trojam tumulanda cadavera ferri:
Qui bello cecidere iras posuisse, nec ullum
Esse odium, irasci qui jam non possit, in hostem.
Quos gemini, nuper mirati fortia facta,
Tristia nunc tantae miserantes fata puellae
Excipiunt, nec vota boni aspernantur Atridae.
Ergo urbem ante pyram piceis et robore secto
Ingentem Priamus sustolli, magnaque jussit
Dona super funus decorantia Virginis addi.
Subjecere faces Teucri; defletaque in unum
Membra, torusque ingens congestaque dona cremantur.
Nec mora: collapsos cineres bibulamque favillam

Fragranti lavere mero, collectaque aëno
Ossa cado texere, oleo perfusa liquenti;
Quae super injiciunt candentis pingue juvencae,
Qua nulla in tota errabat formosior Ida.
Fit gemitus; caraeque dolens ceu funera natae
Praecipue magno Priamus clamore fremebat,
Virtutemque animo Reginae, ipsoque revolvens
Ductum ab Marte genus. Celsae post moenia Trojae,
Laomedontei moles operosa sepulcri,
Turris erat: magno heic ductum sub sidera sumptu
Reginae tumulum imponit; suaque arma suumque
Quadrupedem, cari juxta monumenta parentis.
Nec procul hinc, eadem quas vis tulit effera belli,
Mandat humo comitum cineres decoratque sepulcro.
Nec minus interea diversa in parte Pelasgi
Educuntque pyras, et quos Mars Troicus hausit
Corpora dant flammis sociûm, semustaque circum
Membra gemunt: at fortem alios flent ante Podarcem,
Moerentesque ferunt tonsos ad busta capillos.
Fratre quidem minor ille aevo, at non fortibus ausis
Inferior, misero mersos heu funere fratres!
Protesilaum Hector primi sub tempora belli,
Nunc leto egregium dat Penthesilea Podarcem.
Ergo olli ingentem atque aptum fulgentibus armis
Constituunt tumulum, et tumulo sollemnia mittunt.
Parte alia terrae Thersitae informe cadaver,

Magnumque infodiunt confusae caedis acervum.
His actis sese ad curvas retulere carinas,
Invictique ferunt super aethera nomen Achillis,
Sidereum invertit donec nox humida caelum.
Tum demum Rex Aeaciden, aliosque Pelasgûm
Atrides proceres vocat in tentoria: densi
Considunt olli, dapibusque epulantur opimis,
Indulgentque mero; donec praenuntia solis
Puniceis invecta rotis Aurora refulsit.

DAVIDIS VMBRA

SEV IN CHRISTI NOCTEM NATALEM

IDYLLIUM.

Iam spatium caeli medium nox illa subibat,
Qua genus e Stygiis hominum ereptura tenebris
Magna Dei soboles magnoque aequaeva Parenti
Prodiit intactae fecunda e Virginis alvo,
Quum mihi se (neque enim membris dant tanta quietem
Prodigia, attonito mecum quae corde revolvo)
Mens animi eripuit; celerique per aëra lapsu
Concita Jordanis tandem super adstitit undis.
Heic mihi marmorei moles operosa sepulcri,
Palmaque protendens patulos circum undique ramos
Propter aquas visa, et ramis complexa sepulcrum.
Suspicio; et veteri pendens chelis aurea trunco,
Objiciensque auris chordas crepitantibus edit
Nescio quos vento tenues perflante susurros.
Ecce autem ex imo sese ingens Umbra sub auras
Paullatim attollit tumulo; cui plurima mento
Canities propexa jacet, laetaque micantes

Volvuntur sub fronte oculi; tum candidus olli
Ex humeris fulgensque auro dependet amictus,
Insignitque manum sceptrum laurusque capil-
los.
Obstupui, novique comas incanaque menta
Regis fatidici, cui quondam afflavit honores
Ipse suos Deus, et rerum ventura retexit.
Nec mora: pendentem veteri de stipite captat
Ille lyram, chordas et pectine pulsat eburno.
Conticuere citae positis discursibus aurae,
Ipseque caeruleus gelida caput amnis ab urna
Sublevat, et cursus Iordanes frenat aquarum.
Inde alacris puraque senex in luce refulgens
Fatidico tales effudit pectore voces.
Vota valent: summo manat fecundus Olympo
Ros, aperitque sinum tellus, sitibundaque ro-
rem
Ebibit: extemplo flores et olentia late
Gramina submittunt agri, desertaque rident
Culmina silvarum. En patrios fornacibus en-
ses,
Et clypeos recoquens et pila horrentia miles
In falces et aratra novat: furor omnis abactus
Armorum; positis totum Pax candida bellis,
Pax olea velata comas sibi vindicat orbem.
Cuncta silent: nox illa diu mortalibus aegris
Quaesita, assiduisque modum positura querelis
Aurea jam mediam subit inter sidera metam.
Tuque poli qui regna tenes, quem sidera, quem
sol

Purpureis certant radiis redimire, jacentes
Quem terrae, et maria alta tremunt, manesque profundi,
Quum Superûm tibi sese exercitus omnis eunti
Submittit, graderisque super fulgentibus alis;
Tu Puer humanos tandem collectus in artus
Nasceris: exesae (heu pietas!) sub fornice rupis,
Nudus, inops, gelidae ventorum obnoxius aurae
Nasceris, ut veteris tergas contagia labis,
Aureaque ut spargas redivivo secula mundo.
Salve o spes, generisque salus fidissima nostri
Salve, submisso te poplite pronus adoro.
Teque adeo rubro properantes littore Reges,
Extremisque Indis et odoriferis Nabathaeis,
Te mecum genibus flexis, te supplice dextra,
Nec satis, at patriis portantes munera regnis
Auroque et myrrha, et plena venerantur acerra.
Tu quoque caeruleumque sinum, latebrosaque pandens
Flumina, tu profugam fessa cum Virgine prolem
Excipies, tutamque domum, tutosque recessus,
Nile, dabis: frustra ille tuus latrator Anubis,
Omnigenûmque Deûm verum indignantia Numen
Monstra frement .... Saevi, Puero, fuge jussa Tyranni,
Innocuo madidas puerorum sanguine terras

Heu fuge, rumpe moras, sanguis meus: aspera quamvis
Exsiliique viaeque adeunda incommoda, perfer
Cuncta libens tamen, et duros assuesce labores
Iam nunc ferre, manent qui te quum justa Parenti
Ipse tuo moriens nostro pro crimine solves
Supplicia, obstructique viam reserabis Olympi.

EPISTOLAE

EPISTOLA I.

AD LONGARENUM TIBURE HUMANIORES LITTERAS DOCENTEM.

En tibi, Longarene, vetus comes: humida vitans
Flabra noti, Romae totum qui pene per annum
Debacchans, stomachi vires animique vigorem
Enervat, Tibur petiit Telesinus amoenum,
Ut caelo meliore fruens et mitibus auris
Corpori inhaerentem possit depellere morbum.
Quem florentem olim nosti vernante juventa,
Pallentem aspicies nunc et sine sanguine vultum.
Ast idem manet illi animus morumque venustas;
Quaeque erat Aonidum dulces expromere fetus,
(Grandia seu malles in carmina surgere, versus
Seu bene tornatos et tam bene fingere comptos,
Incudi rursum resonanti ut reddere nolis)
Cura manet; Musis sed mentem intendere morbi
Vis prohibet, maciesque malo comes addita morbo.
Nec desunt qui me incusent, velut ardua Pindi
Per juga qui juvenem impulerim acrius ac animi vis,
Corporis et nondum firmi pateretur: at ultro
Quis currentis equi fodiat calcaribus armos,
Ni demens? ipsum si percontere, docebit
Veram, qui nunquam mendax est cognitus ulli,

Te caussam morbi, meque omni crimine solvet.
Nunc veterem socium complectere, perque salubres
Iam silvas sequere, antiquis jam culta per arva
Romulidis, et adhuc invito tempore villas
Exstantes, ubi Maecenas et Horatius olim,
Quintiliusque Tibullusque, et Parnasside lauro
Quotquot erant quos Aonides cinxere sorores,
A dominae fumoque urbis strepituque remoti,
Nugari inter se et disciuti ludere suerant,
„Pomosis Anio qua spumifer incubat arvis.„ Prop.
Heic juvenem variis recrea sermonibus, omni
Donec vi morbi depulsa corpore ab aegro,
Et pinguem et nitidum Romam ad majora remittas.

EPISTOLA II.

AD TELESINUM IN PATRIA SUA AEGROTANTEM

Non ut rescribas scribenti aegrotus amico,
Hoc tibi epistolium mitto, Telesine, medentum
Cui nondum ars totum discussit corpore morbum,
Scribendoque pares revocarunt pharmaca vires;
Seu tenui scripsisse stilo numerisque soluto,
Grandia jam Tullî, jam non spernenda sequentem,
Insistenda tamen caute vestigia Plinî;
Seu te versiculis, garrit quos Musa pedestris,
Claudere sermonem ritu delectet Horatî.
Vtraque difficilis sane res; utraque poscit
Vrbanosque sales, et quos e fontibus haustos
Cecropiis, dictis Musae allevere lepores;

Vtraque res paucis, numero quos Pallas ab omni
Secrevit, concessa, rudique negata popello.
Hos inter paucos, linguae cum divite vena,
Ingenium dedit illa tibi mitissima sollers,
Iudiciumque acre, ut quid distent aera lupinis,
Haud aliter prima noscas vernante juventa,
Quam qui cuncta animo et studiis maturus et aevo,
Quae recte aut temere oratoribus atque poetis
Scribuntur, notat et naso suspendit adunco.
Atque utinam, ut mens ante suos bona contigit annos,
Sic tibi firma valetudo contingat abunde,
Quae te sacra sinat spatiantem per juga rursum
Proluere Ascraeis sitientia labra fluentis!
Nec spes aut desiderium me fallet: ephebos
Nam qui animum intendunt studiis et rebus honestis,
Ingeniumque sagax integris moribus augent,
Rebus in adversis tutantur Numina. Magnis,
Vt perhibent, opibus partis, dum digna per urbes
Ausonias Phoebo caneret Lesbous Arion,
Iam parat incensus patriae telluris amore
Ionios fluctus transmittere: prensus avaris
Quum subito nautis, spoliatus divite gaza,
Mergendusque undis, mortem non deprecor, inquit; (*)
Sed sinite ad citharam extremum me farier: illi

(*) Ov. Fast. lib. II. v. 103. et 105.

Dant veniam, ridentque moram: tum pollice chordas
Impellens Phoebumque vocans, se jecit ab alta
Praecipitem puppi medium moriturus in aequor.
Non tamen undoso patitur sub gurgite mergi
Phoebus: at immittit vati delphina cadenti,
Qui cava supponens terga, incertasque per undas
Aequora mulcentem cantu citharamque tenentem
Vectans, incolumem Methymnae sistit in oris.
Interea studiis dum te cessare Minervae
Invitum cogit morbi vis improba, ferre
Vt levius possis oti fastidia longi,
Tristitiamque animo sociam depellere morbi,
Heic ubi Palladias animum informare per artes,
Me duce, Musarumque attingere templa solebas,
Haec tibi dictabam, magna stipante caterva
Me juvenum, comitum quondam, Telesine, tuorum,
Non animi magna sine cura, solus abesses
Quod Lojolaeae tu gloria prima palaestrae.

EPISTOLA III.

AD LUCIUM URBINI HUMANIORES LITTERAS DOCENTEM.

Dum tu Palladias informas gnavus ad artes
Pubem Vrbinatem, Luci suavissime, nec par
Respondet curae fructus fortasse, operamque
Atque oleum perdis; dum te praecepta loquendi
Dictante, aut scriptores enarrante vetustos

Avertunt pueri paullatim lumina libris;
Iamque hic subridet, jamque ille susurrat in aurem
Alterius, late et ludi strepit angulus omnis
Murmure: dum scalpris audent terebrare cathedras
Improbuli, aut varias calamo turpesque figuras
Pingere, seu longos nasos, seu turgida gibbo
Terga gravi, immensam crescens seu corpus in alvum;
Sacra Quirinali qua sese ad praelia clivo
Lojolidum exercet primaevo in flore juventus,
Heic ego, qui tirocinium absolvère, latinas
Cecropiasque artes doceo. Sed quam mea felix,
Dissimilisque tuae sors! heic nemo inter ephebos,
Quorum cura mihi mandata, pigratur; ad altos
Sive Heliconiadum ducam fontes, ubi vates
Explevere sitim Graji Ausoniique, Minervae
Sive illis ostendam sedem; exhorter et illuc
Endogredi, quo Veninus, quo Rossius olim,
Segnerus et sacri eloquii pater inclytus ille,
Ingressi liquere exempla domestica seris
Ante oculos ponenda nepotibus, altaque nunquam
Non insistenda audaci vestigia gressu,
Fervet opus, studiis et flagrat sedula pubes.
Queis ego tam laetor, studiis quam dulcis alumni,
Contigit ingenium cui promptum, et gratia fandi,
Et fama ante diem gliscens, nutricula gaudet.
Quippe equidem spero haud longo post tempore priscam
Laudem illam renovatum iri, qua didita nostri

Fama sodalitii longe lateque per orbem
Sustulerat caput et jam se se aequabat Olympo.
Nec dubito quin litterulae Grajaeque Latinaeque
Emergant tenebris, quibus illàs Gallica nuper
Obruit illuvies, tam gnava a pube sub auras
Excitae, Avsoniaeque iterum dominentur in oris.
Nèc Lojolaeis tu qui vernante juventa
Sollertem castris operam, nomenque dedisti
Non tenue, ingeniumque acre, haec non laeta videbis
Tempora, tantarum vel eris pars maxima rerum.
Sive velis Tullî praeclara evolvere scripta,
Et longo studio, et sollerti indagine priscis
Vera ex codicibus verba, et germana parentis
Romani eloquii eruere, et proferre sub auras
Sensa, diu tricis discerpta, aut futilibus sub
Grammaticorum apinis latitantia, non deerit qui
Sit Lagomarsinio non dispar: sive Pelasgos
Non exhorrescens per fontes nare, lepores
Grajugenum vatum latiis affingere Musis
Exoptes, et Cunichium, cultumque Zamagnam,
Et Rotium referes: docta seu prisca recludens
Romulidum monumenta manu, titulosque, vetustas
Quos longa exedit, terra vel condidit alta,
Scite rimeris veterum vestigia morum,
Relliquiasque urbis majestatisque Latinae,
Lanzius alter eris, Morcelloque aemulus ibis.
Ast me, quem pulsis senium melioribus annis
Iam premit, atque impellit eo quo cogimur omnes,
Non sors ista manet: sola spe pascor, ephebos

Hos ego quos doceo, asserturos denique famam,
Quam studiis partam assiduis longoque labore
Egregiam nostri nobis liquere parentes.

EPISTOLA IV.

AD LONGARENUM TIBURE HUMANIORES LITTERAS DOCENTEM.

Diva potens Latii, Venusini Musa poetae,
Huc ades, et teneris ego si te semper ab annis
Antetuli cunctis, varia quae lingua habituque
Omnigenis Musae dominantur gentibus, altum
Ne pigeat Roma Tibur te ferre, meumque
Discipulum nuper, nunc sueta ad pensa vocatos
Litterulas pueros latias grajasque docentem,
Longarenum illic larga donare salute.
Pallade non natum juvenem nec Apolline laevis
Invenies, sed versiculis, vernacula Musa
Quos garrit, chartas plus aequo forte linentem,
Neglectis quae ritu olim mellita Catulli,
Vel quae magna, tubam vellet quum inflare Maronis,
Aut citharam plectro numerosi tangere Flacci,
In Lojolaeo pangebat carmina ludo.
Quare illum moneas, precor, ut meliora sequutus
Romulidum seu Grajorum vestigia vatum,
Illecebris caveat, fucatoque ore recentum
Musarum Venerumque capi. Sit Postumus illi

Exemplo, qui quondam ageret quum rhetora Romae
Illectus stulto novitatis amore latinam
Fastidire lyram, tuscisque implere cathedras
Carminibus juvenum, quos illi cura docendi.
Iamque sibi plaudens puerorum turba ducentos,
Vt magnum, versus stans in pede scriptitat uno,
Et canit, et crambem repetit; nugisque canoris
Pene parum fuerit subsellia frangere ludi,
Si qui forte salutatum suevere parentes
Ire domum, arripit, et tenet occiditque legendo.
Interea stolidae e manibus pluteisque juventae
Exsulat Aeneis, cultusque Tibullus, et ille
Romanae fidicen citharae, quem prae omnibus unum
Dilexti: subeunt, latias non pone sequuti
Qui Musas Italam extulerunt super astra poesim,
Dantesque Tassusque immortalisque Petrarca,
Atque alii, quibus ingenium divinius atque os
Magna sonans non Ausoniae invidere Camoenae;
Sed qui conclusas hircino folle laborant
Vsque imitari auras; plausu nec digna putant, ni
Sub finem reboent vel parva epigrammata bombis;
Aut quos non Erato illa quidem sublimis, at ima
De plebe illexit meretricula, Musa vocari
Indigna; adscito vultum fucata colore,
Insidiosa, procax, et pro Parnasside lauro,
Myrtoque et roseis crines circumdata sertis.
Horum inconsulti versus mirantur ephebi,

Nocturna hosce manu versant versantque diurna,
Hos adamant recitantque, stiloque imitautur inepto,
Effutire queant ut mollia carmina, solis
Hispullis grata, aut glabris placitura Bathyllis.
Talia ab insano musas cacoëthe colendi
Nostrates pubem in studiosam incommoda gigni
Dices, in vitium juvenum sic vergere mores.
Post haec, carminibus ne compellare latinis
Abnuat interdum veterem, exhortare, magistrum;
Iudicioque senis, quem aetas et longior usus
Edocuit rerum secernere ab aere lupinos,
Subjicere Aonidum tentat quos promere fetus;
Seu Bovium velit in caelum sustollere, magno
Nostri exornantem eloquio benefacta Parentis,
Lesboa fretus cithara fidibusque canoris;
Teïa seu cupiens imitari carmina, laetos
Perque agros reptans saxis Anienis ab altis
Deciduas undas canat, et Tiburtia Tempe.
Nec dubita: monitis, quae tu instillaveris, aures
Praebebit: namque est facilis cupidusque moneri;
Nec sibi dumtaxat plaudens quae non sua spernit,
Vt juvenum vulgus, nec inani laude superbit.

EPISTOLA V.

AD CRISPINUM DE TARPAE ASTU IN CONVELLENDO FAMAM SCHOLARUM, IN QUIBUS LATINAE LINGUAE STUDIUM IN PRIMIS EXCOLITUR, ET CATULI IN EJUS CONSILIIS SUBSERVIENDO FATUITATE (1.)

Stultitiam Catuli, et Tarpae versatilis astum,
Ni ridere piget studia inter docta Minervae,
Crispine, assiduis reficique laboribus, audi.
Forte in Palladiam, ut mos est, studiosa palaestram
Iam pubes convenerat, ut quas edidicisset
Litterulas toto se nosse ostenderet anno,
Ingeniique sui faceret studiique periclum.
Tarpa novos qui doctores hos oderat, artes
Queis informandos ad grajas atque latinas
Vrbs nuper dederat juvenes, studiumque docendi
Auctamque obliquo limabat lumine famam,
Explendae opportuna ratus sibi tempora adesse
Invidiae, et tanti minuendi nominis, ad se
Arcessit Catulum, quo non vesanus et audax
Alter erat magis, et tricis turbisque ciendis
Aptior: hunc, eat, et timidos perturbet ephebos,

(1) Quod in hac epistola a Tarpa, et Catulo factum fingitur eos praesertim respicit, qui veterem ad humaniores litteras pueros informandi rationem improbantes novam quamdam vellent inducere, quae latinae linguae studium vel omnino, vel magna saltem ex parte negligeret.

Percontans inopina, quibus non ipse magister
Se queat extricare, ultro compellit et urget.
Annuit, et tumido Catulus ventosior utre
In spissam se fert scapulis exstantibus aulam.
Submovet obstantem turbam tardosque repellit
Multa et magna minans. quid vis insane? quid ultra
Progrederis violens, et pulsas omne quod obstat?
Cedite: non vos haec contentio poscit: abite
Hinc, rude quo postrema manent subsellia vulgus.
Non heic quanti oleum, non quanti cannabis, aut sus
Tosta (2), colonorum pastura abdomina prostet;
Ast agitur de Rhetorica, quam perperam ephebi
Hi vocitant artem, indocti in praecepta magistri
Addicti jurare. Heus tu, qui de grege primus,
Sede sedens prima, hoc cirratorum esse videris:
Dic sodes, non Rhetoricam te artem esse loquendi
Affirmare pudet? tantine Colonia, longo
Ille aevo effetus tibi sit nugator, ut illi
Auctorum tot posthabeas inventa recentum?
Quorum dispeream bene dicendi rationem
Si quis praeceptis claudi putat, aut vocat artem;
Quare, si quidquam sapis, oratorque disertus

(2) Quo pretio oleum et cannabis prostet in iis locis, ubi hi terrae fructus abundant, vulgus in primis curat et disquirit. Sus vero in quibusdam regionibus integra solet torreri, et populo, agricolis praesertim, minutatim venum dari. Hanc licet jam grandem *porculum* vulgus appellat.

Vis fieri, aut vati non impar magna sonanti,
Rancidulis his Rhetoribus valedic, et omittens
Artem ubi nulla est ars, in scirpo et quaerere nodum,
Quos tulit haec aetas, scriptorum exempla memento
Nocturna versare manu, versare diurna.
Haud procul immixtus turbae latitabat in arcto
Angululo Tarpa, et secum gaudebat, in aurem
Quae Catulo ipse prius garriverat, irrita nondum
Esse videns, et suspensum exspectare popellum
Quid tandem puer ille reponeret: ipse timebat
Interea sibi nil, quocumque evaderet et res,
Tutus erat: facti modo non ipse audiat auctor,
Alterius nihili pendit dispendia famae.
Callida sic olim fertur vulpecula felis
Arripuisse pedes, cineri ut quas forte doloso
Suppositus jam castaneas molliverat ignis,
Eliceret, nec pruna suos ambureret ungues.
Quum subito insanis fatui gerronis ephebus
Nil verbis, tumido nil territus ore; tuos hos,
Quos nostra haec aetas tulit, et quos tollis ad astra,
Auctores, inquit, cum te salvere jubemus;
Omnium et instar erit nobis, qui plurima fandi
Et tam magna dedit praecepta, artemque vocavit
Rhetoricam, cui nos operam hoc impendimus anno,
Tullius eloquii Romani maximus auctor.
Vix dum finierat, quum jam mussare popellus
Non solum, ast etiam subsellia prima tumultu
Misceri, et fatui nebulonis verba cachinnis

Excipere: ille timens urbanae scommata plebis
Atque minas procerum: cauda inter crura reflexa
Proripuit sese. nec eo Tarpa amplius ausus
Apparere die per publica compita: sed clam
Irrita cum Catulo et sociis tentamina moeret.
Non tamen abstinuit, nec fraudi iraeque pepercit;
Sed Catulum appellans: viden' ut niger iste triumphat
Coetus, vecordes cui cives erudiendos
Tradiderunt pueros? ex quo si claustra vel unus
Doctrinae reserare queat, qui Mercurialis
Hactenus audivi, patiar vel blennus haberi.
Ergo, quandoquidem non es sine pectore corpus,
Dique tibi ingenium dederunt, et decipiendi,
Quod caput est, artem clamoso gutture vulgus,
Aude alipuid quod sit te dignum: edice juventam
A teneris animum studiis quae intendit honestis,
Ducere te nova per compendia velle viarum
Illuc, unde haurire queat de gurgite vasto
Aurea vel prorsi eloquii versive fluenta.
Nullus, credo, parens, cui spes affulgeat, aequor
Posse suos natos tantum transmittere, cymba
Tam volucri, tam parvo tempore, sub duce tanto,
Hos tibi pollicito tam grandia fidere nolit.
Sic geminos una captabis glande columbos:
Nam fies hujus non gymnasiarcha Lycei
Dumtaxat, verum hos etiam insectabere corvos,
Et coges vacuas inter crocitare cathedras;
Donec consiliis cives melioribus usi,
Et demoliti has aedes et pulpita, nondum

Barbati unde crepant dictata insulsa magistri,
Magna novi jacient heic fundamenta theatri;
Quod proceres cupiunt, ipsa et plebecula poscit:
Atque ubi vix macram extundebat denique chriam
Turba Bathyllorum, vel inania carmina, solis
Deucalioneum grata admirantibus aevum,
Garrulus aut stolidum oblectabit scurra popellum,
Aut procerum tremulis mulcebit cantibus aures
Invidiam gelidis Aegle fact ura puellis.
Vix Tarpa haec, subito Catulus quum percitus aestu
Dextrorsumque sinistrorsumque errare per urbem,
Et juvenes arcessere, compellare parentes,
Atque novi sese ludi jactare magistrum;
Non horum tricas docturum grammaticorum,
Qui magnum nunquam quidquam aut sublime minantur,
Nec priscis audent emergere sordibus, unis
Contenti Phaedri fabellis, aut Ciceronis
Litterulis, aut ploratu Nasonis inepto;
Ardua sed pueros ducturum in templa Minervae
Quam primum, voces ubi non sine robore, sed res
Addiscant, scite quas mox depromere possint.
Monstraturum etiam sacros quo tramite montes
Pieridum ascensu superent, et aperta fluenta
Spernentes primo assuescant in flore juventae
Haustus Pindarici non expallescere fontis.
At cives, quorum melior sententia menti,
Pendere rem secum ancipites, et jure timere,

Ne gravido hoc de monte oriatur ridiculus mus,
Aut puerorum aetas improvida ludificetur:
Maturum ergo animi scitatum oracula mittunt
Palladis Albinum: qui nam novus iste magister
Sit, tumidis qui tot promittit grandia buccis?
Credere numne suos huic natos referat? atque is
Haec responsa refert: „ Nostra de Gorgone sumpsit
Vox ejus vires; utque hanc qui viderit, illam
Audierit sic discipulus quicumque, lapis fit. „
Ut tantae responsa Deae audivere parentes,
Antea quam lapides fierent sua pignora, jam jam
Corripiunt lapides .... Catulus sed promptior ante
Quam lapidum sub congerie obrueretur abivit,
Tarpae succensens, et non referenda precatus.

EPISTOLA VI.

AD EMINENTISSIMUM CARDINALEM LAURENTIUM LITTAM

INTERPRETATIONIS HYMNORUM CALLIMACHI DEDICATIO.

Quae vis, Litta, sacri decus immortale Senatus,
Sit Cyrenaeo, fandi et quam magna poetae
Gratia, judicio es rimatus scilicet acri.
Nam relegenti haud verborum et farragine rerum
Turgentem Vatem lutulenti fluminis instar,

Leniter irrigui sed fontis more fluentem,
Scribendaeque rei numeris et sensibus aptis
Insignem, licet exutus mihi veste Pelasga
Ausonias latio graderetur more per urbes,
Nec gravis, ut quondam, graji nec clarus honore
Eloquii, tamen antiquae vestigia formae
Sat visus servare tibi, nec rursus in auras
Indignus qui prodiret, vultuque decoro
Offerret doctis se linguam utramque videndum.
Quum nostrum ergo aliquid, Musas qui tam bene calles
Cecropias latiasque, putaveris esse laborem,
Haec, quae olim in latium sermonem carmina verti
Callimachi, resonos revocare incudis ad ictus
Sedulus occoepi, primis abstersaque mendis,
Quas nemo facile interpres vitaverit omnes,
Et grajis conjuncta modis, quos ipse poetae
Tam magno afflavit Phoebus, quo pronior esset
Grajugenam latiumque inter contentio vatem,
In lucem rursus mens est emittere: sed te,
Doctorum flos Litta virorum, quaerit, et ad te
Postulat hic mitti Liber: auctoremque decoris,
Si quis forte sibi accessit, te novit, et ultro
Promeritum officium tibi reddit, se tibi sistens,
Seque tuum appellans. Quem ni despexeris, ille
Nequidquam nigros rodet Pantilius ungues,
Qui quem sermonem in nostratem vertimus olim,
Vix Tacitum unius faciendum dictitat assis;
Iudicio licet ille tuo, quod satque superque,

Atque virûm, Mediolani qui scripta recentum
Contracta auctorum perpendunt fronte, probetur.

EPISTOLA VII.

ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΚΗ

AD SILVESTRUM BARGAGNATIUM V. C. (*)

Si qua inter lacrimas misceri gaudia possunt,
Id, Bargagnatl, per te mihi contigit: altum
Nam quum corde premens amisso Fratre dolorem
Insatiabiliter flerem; nec lumina fletus
Deterere, aut unquam praecordia carpere luctus
Desineret; nec amicorum me dulcia possent
Solari alloquia, aut, quos a florentibus annis
Omnibus antetuli illecebris, non Pallade laeva
Musarum exprompti laevo nec Apolline fetus,
Ecce tuum mihi epistolium nil tale putanti
Adfertur: cara signata ut pagina dextra

(*) Luculentissimum hoc, de quo heic sermo est, Mariani Aloisii Petruccii e Soc. Ies. ellogium concinnavit publicavitque Romae typis Francisci Bourliè Cl. Vir Silvester Bargagnatius Fabrianensis Scriniarius ab actis Sacri Consilii Immunitati Ecclesiae tutandae, ponendum Interamnae in Aede S. Theresiae Virginis Legiferae, loco ex indulgentia Collegii Virginum Theresianarum impetrato, ne honor Amico veteri et rarissimae fidei in patria deesset.

Ejus visa mihi, mecum qui Fratris adempti
Tot lacrimis obitum flerat, mora nulla, legendi
Quid scribat longo tandem post tempore, amor me
Nescio quis compellit, epistoliumque resigno.
Inspicio, videoque typis impressa venustis
Clara mei Fratris praeconia; qualia magnis
In tumulis legimus magnos decorantia manes,
Sculptaque marmoribus servant benefacta virorum
Per memores seris imitanda nepotibus annos.
Obstupui primum; paullum dein pulsus ab aegro
Corde dolor, legerem Fratris dum sancta perempti
Facta ad honestatem morum praescriptaque legum:
Quorum etsi non essem nescius; (unus utrumque
Scilicet et sanguis conjunxerat, unaque vitae
Conditio; a teneris dantes et nomina castris
Lojolidum studiis animos adjecimus îsdem,
Consilioque et amore magis quam sanguine fratres)
Ajebam tacitus tamen: o bone, nil mage, Frater,
Laudandum virtute tua mihi, nil mage fleudum est
Morte tua! ut vixti! ut pulcris virtutibus augens!
Vt frugi! ut sapiens! illo quam dignus honore,
Nostrarum quo te rerum Moderator adauxit,
Prae cunctis quum praeclara pietate probatis
Doctrinaque viris unum legitque, suisque
Perfungi vicibus sua te post funera jussit!
Haec ego: celassem quae vel te, dulcis amice,
Fraterno veritus ne laus sorderet in ore,
Ni tua vulgasset tam scite pagina verbis

Ad veterum exactis numerumque stilumque Quiritum.
Quod tamen haud miror: miretur nempe vetustos
Qui nescit bene quam titulos monumentaque verses,
Quam bene rimeris veteris vestigia linguae.
At non ille quidem mirabitur eximius vir,
Purpurei lumen non solum Pacca Senatus,
Ast operum judex etiam doctissimus horum;
Pro quo, ni scires hac quam sit callidus in re,
Non ea curares, Augusti quae sapit aevum,
Arte laborata, et concinnis edita formis,
Luce ejus redeunte notat quae candida nomen,
Proferre in lucem sollemnia vota quotannis.
Miror ego, et merito miror quod funus amici,
Quicum sanctus Amor dulci te junxerat usu
Iampridem, hoc titulo, quem nulla oblitteret aetas,
Exornes, memorique actus pietate sepulcro
Tantarum inferias mittas praeconia laudum.
Denique me miror quod sic respexeris, ut quum,
Qua dulces me jam suerant lactare Camoenae,
Laetitiam hanc totam abstulerit fraterna mihi mors,
Munere tam caro revoces ad carmina: pro quo
Si nostrae officio meritas tibi solvere grates
Non opis est, tanti nunquam mihi gratia facti
Excidet ex animo; sed eo magis usque vigebit,

Quo tanta haec, nullus qua se non jactat amicus,
Rarior est pietas: etenim heu non undique rerum
Sunt lacrimae, non aeque animos mortalia tangunt!

ELEGIAE

ELEGIA I.

IN VIRGINEM PARITURAM.

NON ERAT EIS LOCUS IN DIVERSORIO. (LUC. II.)

Nam quae, mortales, dementia, quis furor unquam
  Innocuum vos hunc impulit in Puerum,
Ut dias jam oras in luminis egressuro
  Cognata angustus desit in urbe locus,
Atque gravis fetu, et tecti communis egena
  Pellatur quovis Mater ab hospitio?
At qualis Mater! non moribus ulla pudicis,
  Non illi claro se genere aequiparet,
Nulla decus formae par jactet: saxea posset
  Pectora, quin saxo flectere dura magis.
Nec vos illa tamen flectit; tamen omnibus illam
  Orantem atque inopem pellitis e domibus:
Pellitis, haud secus ac si despectissima matrum
  Adstaret vestris improba liminibus,
Et vitam tolerare colo, tenuique Minerva
  Abnueret, turpi marcida desidie.
Ah crudele genus! magnae tibi non satis urbes,
  Non tecta in magnis urbibus ampla satis:
Multiplices tibi rura parant, ubi pomifer urbis
  Ingerit Autumnus taedia, delicias;

Et platani steriles, et spissis laurea ramis
Debita praeripiunt jugera vomeribus,
Aestibus ut mediis projectum in gramine molli
Te nemus umbroso protegat hospitio.
Quin etiam si te capiunt fastidia terrae,
Ipsa fluentisoni te maris unda manet,
Molibus et refluunt tibi jactis aequora, pisces
Dum sua contractis damna queruntur aquis.
Tanta igiturne tibi vitae ac tot commoda? Matri
Nil super huic Matri est, nil super huic Puero?
Illa igitur paritura petet pro divite tecto ....
(Quamquam non ditem quaeritat illa domum,
Parva satis; tuguri tegmen sat pauperis illi,
Ne se, ne Puerum, tam fera laedat hiems.)
Hoc igitur miseranda Parens pro paupere tecto
Antra petet Boreae pervia flaminibus?
Antra ipsis deserta petet pastoribus? ipsis
Antra receptandis vix satis apta feris?
Ille autem ut vitae Puer egredietur in auras,
Pro saturis tyrio murice velleribus,
Pro cunis auro fulgentibus atque elephanto,
(Ah! tantas illi quid peto stultus opes?)
Vilibus at pro fasciolis pannisque resartis,
Nuda tegat rigidis corpora straminibus?
At rudibus pro culcitulis, sub fornice rupis,
Molle latus duro collocet in lapide?
Fallor? an haud frustra timuit praesaga mali mens?
Nascitur, ah! ubinam nascitur ille Puer?
Ah! quem, mortales, quem vos in lustra ferarum
Pellitis, exesis aspera pumicibus,

Quem siccis oculis nudum algentemque videtis,
Num quis, nescitis, quantus et ille Puer?
Humanos Puer ille licet collectus in artus
Infantis prae se nil nisi signa ferat,
Effusi in lacrimas, et luctisonos vagitus,
Ille licet sola qua ratione potest,
Levia protendens exoret brachia Matrem,
Algida ut admoto membra sinu foveat;
Ille tamen vagit quo nunc Puer ore, ministros
Posset in obsequium mille vocare suum,
Qui Domini nutum observent, et jussa facessant;
Seu Boream Aeoliae pellere in antra velit,
Et tepidos Zephyri se circum arcessere flatus,
Et rigidam in placidum vertere ver hiemem;
Straminibus seu sublatis ulvaque palustri
Molliculo libeat membra locare toro,
Et teneras violas, et languidulos hyacinthos
Sternere et halanti mixta ligustra rosae.
Quas nunc ille manus torpentes frigore tendit,
Admoto miserans et fovet ore Parens,
Caelum illae terramque olim, camposque liquentes
Iussu condiderunt aequoris omnifero.
Illae etiam, justas si quando arcessimus iras,
Amentesque nefas per vetitum ruimus,
Suetae inter nimbos fulmen torquere coruscos
Horrificis miscent omnia funeribus.
Ora lacus, quam late omnis patet, Asphaltitae
Testis, et incestae moenia Pentapolis
Diruta, sulfureis et adhuc fumantia taedis,
Vltrici jecit quas Puer ille manu.

Nec vero, mortale genus, vos tanta latere
  Prodigia, Amoida fata canente, queunt.
Ecce, canit, thalamique expers taedaeque jugalis
  Virgo sinu afflatus excipit aetherios,
Virgo parit: gnato nomen non scilicet unum:
  Ille dator dacis consiliique potens,
Ille una Fortisque, Admirandusque, futuri
  Ille Parens aevi dicitur, ille Deus.
Ille premet solium Iessidae Regis, aviti
  Ille decus late proferet imperii.
Non illi pectus lorica impervia telis,
  Non teget e rigido balteus aere latus.
Una fides lateri comes, indignataque terris
  Quae dudum incestis cesserat Integritas;
Integritas revocata polo, quam pone sequetur
  Victa triumphalis Pax super arma sedens.
Nec solae placida gentes in pace quiescent;
  Pax dabit indomitis mitia corda feris.
Mixta lupis errabit ovis, passimque leones
  Cum vitulis domito gramina dente terent.
Circum anguis pueri rimosa cubilia ludent,
  Intus agent teneras et sine fraude manus.
Haec canit Amoides, additque e littore rubro
  Accitos partus visere virgineos
Delectos Arabum Proceres, Regesque Sabaeos;
  Aurique et turis non sine muneribus
Demissa e caelo venerantes pignora, Matris
  Et Gnati dios procidere ante pedes.
Quo tamen audaci properas, Elegëia, versu?
  Tantane te nervis hiscere posse tuis?

Desine, non fallax quae Numen vatibus afflat,
Deterere exiguis grandia fata modis.

ELEGIA II.

EX ODE VERNACULA FULVII TESTI.

Ruscelletto orgoglioso etc.

Rivule, praerupti rupes sub culmine montis
Protulit ignoto quem tenebrosa sinu;
Rivule inops undae quondam, et sine nomine, qui vix
Audebas patrii lambere saxa jugi;
Insano ne tam, quaeso, strepe murmure, ne tam
Obliquo ripam gurgite utramque feri;
Nam licet et nivibus, solvit quas aura Favonî,
Et verno huc illuc imbre superbus eas,
Ocius adveniet tamen aestas, et tuus ille
Deficiet pluvia deficiente tumor.
Fluviorum Rex Eridanus per pinguia culta
Tranquillo in Thetidos labitur amne sinum;
Hic tamen externo referentes littore merces,
Sustinet aeratas, pondera magna, rates;
Cumque alios ardens exsiccat Sirius amnes,
Non magis exiguis in mare fertur aquis.
Tu strepis interea, et tumido, quocumque vagaris,
Pastores terres amne, gregemque fugas,
Et brevis undarum dominus, quas colligis, alta
Nequidquam extollens cornua fronte tumes:

Hic tumor est hic, rive, tuus dumtaxat; aquarum
Quidquid habes non est, rive superbe, tuum.
Sed nunquam vultu caelum consistit eodem,
Alternasque vices mobilis annus habet.
Tempus erit, cum vix depresso flumine ripas
Lambes, qui pleno nunc celer amne fluis;
Teque olim, nunc pastori pecudique timendum,
Despiciet pastor, transilietque pecus.
Non equidem ignoro surdis me irascier undis,
Et videar demens fors, Raymunde, tibi.
Sed tamen interdum, ut lateant rude vulgus, Apollo
Occulit Aoniis mystica sensa modis.
Haud procul hinc nuper mihi summo e culmine torrens
Raucisonum est visus ferre per arva pedem;
Ille vorans littus, silvasque et grandia saxa
Oceani rapiens aemulus ibat aquis.
Obstupui, petiique procul juga summa, furentis
Accipiens saxi e vertice murmur aquae;
Volvebamque animo quam pleno gurgite flumen
Curreret, exiguus qui modo rivus erat;
Et late erumpens ripis, et molibus altis,
Vorticibus raperet pinguia culta suis.
Ecce autem effusis per candida colla capillis
Rex Cirrhae Phoebus visus adesse mihi;
Rex Cirrhae, primosque mihi Deus inter habendus,
Conspicuus lauro sed mage luce caput;
Et postquam aurato vocales pectine chordas
Impulit, hos roseo protulit ore sonos.

Sede sedens fragili, et simili, mihi crede, cadenti
  Humanus regnum perbreve fastus habet.
Alternis gaudet vicibus Fortuna, suaque
  Dumtaxat constans in levitate manet;
Munera jam praebet, jam, quae dedit, ocius aufert,
  Teque favens sequitur, teque inimica fugit.
Sit levis illa licet, sapiens in utrumque paratus,
  Nec ridet, turpi nec rigat imbre genas.
Navita laudatur tumidis qui flantibus Euris
  Nil timet, et portum cum rate sospes init;
Ast aeque laudandus hic est, fallacibus auris
  Qui nunquam fidens turgida vela legit.
Quem perhibent figulo de patre Agathoclea natum,
  Ille mihi magni nominis instar erit;
Cui moderans auri fulgorem in divite mensa
  Adstabat cyathus fictilis ante dapes.
Progenies terrae quamvis obscura Typhoeus
  Bello audet magnum sollicitare Iovem.
Quid fiet? trifido semiustum fulmine corpus
  Horrida sub piceis rupibus Aetna premit.
Dum caeli simulat flammas, Salmonea verum
  Immani fulmen turbine adegit humi.
Haec Deus; arrectusque Dei dum vocibus adsto,
  Respicio, et tenui vix fluit amnis aqua;
Atque imo apparent prius abdita saxa sub alveo,
  Transilit et petulans sicca fluenta pecus.

ELEGIA III.

IN VIRGINEM PUERPERAM.

Qui mihi nocturni callis per opaca fuisti
  Et comes, et custos, o Amor, attigimus
En antrum, felix antrum: heic conside parumper,
  Et Puerum intactae Virginis e gremio
Qui laturus opem mortalibus aerumnosis
  Prodiit, et sedes deseruit superûm
Humano non dedignans velamine dios
  Obnubi vultus, aetheriumque jubar,
Mirare heic mecum et submisso poplite adora.
  Ah! tamen humanis se artubus ille licet
Induerit, faciemque Dei celarit, ut aegris
  Praeberet se hominum conspiciendum oculis,
Ah! tamen, ah! male firma acies subsistere frustra
  Conatur, radios nec pote ferre, jacit
Assidue e sanctis Infans quos dius ocellis.
  Hanc igitur, sobolis nata parensque suae
Natura meruit dici quae sola stupente,
  Et Virgo et Genitrix, digna Deo Genitrix,
Sola modis junxit contraria nomina miris,
  In natum ipsa suum lumina quandoquidem
Dejicit, obtutuque immobilis haeret in uno,
  Hanc, age, miremur, Hanc, veneremur, Amor.
Fors meminit, toto ut trepidarit pectore quondam,
  Virgineo niveas atque rubore genas
Sparserit, aetheria quum nuncius ales ab arce
  Adstitit, atque unam se audiit Isacides

Inter felicem lectamque Deo Heroinas,
Aucta foret diae germine quae sobolis;
Solverit utque omnes trepido dein corde timores,
Afflatusque sinu exceperit aetherios.
Ac veluti pennis crepitantibus Amphitriten
Cum leviter Zephyri et leniter aura ciet,
Assurgit tremulo de marmore fluctus, et oras
Ut tetigit, placidis sternitur aequoribus,
Quem subsidentem confestim mille sequuntur
Dein fluctus, subeunt dein alii atque alii;
Sic varias Virgo species sub pectore rerum
Versat, sic variis gaudet imaginibus.
Iam subit aridulum, et madidum nil vellus ab imbre,
Proxima dum late rore madescit humus;
Iamque ille e mediis sese rubus ignibus offert,
Iam sese e mediis fluctibus illa ratis;
Atque rubum repetit non ulla incendia passum,
Atque jugis navem sospitem in Armeniis.
Quam gestit bona Virgo! mera oh! quot gaudia tentant
Et tacitum huc illuc abripiunt animum,
Dum sese in navi, dum sese in vellere, sese
Inque rubo agnoscit; dum rata signa videt!
Tantaque non capiat pectus quum gaudia, Natum
Iam versare ulnis, jamque fovere sinu,
Vberis ambrosio nivei jam pascere succo,
Oscula jam admotis frontibus eripere.
Longius ah! quid, Amor, tam cara in sede morari,
Quid prohibes? omne heic transigere abnuerim

Non aevum. Quidni mortales jam exuor artus;
Vt levis heic sistam spiritus? aut similes
Mi datur haud humeris pennas aptare tuarum,
Ut redeam, et Matrem heic assidue, heic Puerum
Contempler, neque divellar donec Puer isthaec
Tantus, tanta isthaec incolat antra Parens?

ELEGIA IV.

EX POETICO QUODAM MENTIS AFFLATU ANIMORUM CAELESTIS ORIGO RERUMQUE HUMANARUM TENUITAS INFERTUR.

Humani naturam animi, ceu crura manusque,
Qui partem primus prodidit esse hominis,
Scilicet ut genio male perditus indulgeret,
Laxans indomitis frena cupidinibus,
Nec Stygias pavitaret aquas, noctemque profundam,
Quo summi sontes Numinis ira adigit;
Ille quidem rationis egens, et degeret inter
Qui brutas vitam dignus erat pecudes,
Quem nunquam caeli Sophie de parte serena
Repentem placido lumine vidit humi.
Ergo, age, quae nostris insit caelestis origo
Mentibus, audaci carmine, Musa, refer;
Quandoquidem veluti resides si corporis artus
Liquisset, tractus carpere meus animi
Aetherios gaudet, dedignaturque jacentes
Iam terras; atqui si foret illa simul

Corpore cum fragili compacta e principe limo,
Haudquaquam pennis fulgida praepetibus
Astra super veheretur, et indignantia solvi
Frangere nequidquam vincula discuperet.
Nec me Thespiades, proles Iovis illa, sorores,
Quae vanis hominum pectora imaginibus
Saepius, et falso vates ardore fatigant,
Longinqua haec caeli per loca detulerunt.
Quare ego, quae quondam commenta est Graecia, monstra
Haudquaquam miror: non genus Iapeti
Quos superis ignes e sedibus asportavit
Fraude mala, incautis intulit et populis;
Sublimemve plagam, caelum Titania pubes
Montibus aggressa est qua rapere impositis,
Aetheriisque Iovem detrudere sedibus; aut qua
Altus equis Phaëton excidit igniferis,
Aeternos (demens!) currus agitare, Patrisque
Ausus inexperta flectere lora manu.
Huc Sophiae me vexit amor, caelique beatas
Heic solum, fugiunt quae rude vulgus, opes
Adspectare juvat; superas concentus et aedes
Qui circum resonet, sidera dum rapidas
Praecipiti in numerum late choreas decursu
Innectunt, bibulis auribus excipere.
Ac veluti exstimulans flagris auriga jugales,
Quum campum effusi carcere corripiunt,
Et lora huc illuc laxans fluitantia, cursu
Spectantum fallit lumina praecipiti;

Haud aliter longe caelo lateque vagatur
  Mens desideriis acta per astra suis.
Illa pedes quocumque infert, arcanaque rerum
  Omnigenarum, et motum inspicit et numerum;
Explere et studium visendi nescia, tractus
  Vsque alios caeli transmigrat atque alios.
Iam te quis memoret terram? contermina caelo
  Quae quondam rebar stagna profunda maris,
Qua sese occuluere? meis quis ditia regna,
  Fluminaque et montes abstulit aërios
Luminibus? puncti vix iustar cernere terras
  Exigui, et gentes hinc datur omnigenas.
Ergo tam tenuis (peream quid tenuius unquam
  Si sese nostros obtulit ante oculos)
Tam tenuis mortale genus (quis crederet?) orbis
  Vexat amor, curisque innumeris acuit,
Vt quo vix tandem exigua potiatur arena
  (Infandum!) bella indicere non pudeat,
Et petere excidiis urbes, et sanguine rivos
  Vndantes siccis cernere luminibus!

ELEGIA V.

CHRISTUS INFANS

VITAE AB HOMINIBUS SANCTE INSTITUENDAE MAGISTER.

Quam sacro toties afflati numine vates
  Polliciti humanis adfore rebus opem;
Scilicet ut terras quae late involverat omnes
  Nox olim e tenebris excita taenariis,

Et totam ob primi scelus exitiale Parentis
  Horrifico obduxit tegmine progeniem,
Luce nova e domibus lapsa stellantis Olympi
  In stygias fugeret, venerat unde, domos;
Hanc tandem laetemur opem mortalibus aegris
  Allatam, et veterum jam rata verba patrum.
Omnia jam lucent, jam non errore viarum
  Decepti, recto e tramite digredimur,
Mendacesque duces, et inania jussa sequuti
  Ire per ambages cogimur usque novas.
Ite procul, caelo quos Graecia vana magistros
  Morum et doctrinae sustulit omnigenae;
Desinite ambiguas in vulgum spargere voces,
  Et vacuis commenta ingerere auriculis.
Aurea promissi venit jam temporis aetas,
  Et novus e superûm sede Magister adest.
Non ille humanas excultus nempe per artes,
  Quamlibet eximio fretus et ingenio,
Ignarosque docere homines, et tollere lumen
  Tam clarum e tantis aggreditur tenebris;
Ipsa sed aetherii Regis sapientia, summi
  In terras soboles labitur ipsa Dei;
Atque hominum lux tanta oculos ne laederet aegros,
  Quum sancto ignaros fingeret eloquio,
Humano non erubuit velamine dios
  Obnubi vultus aetheriumque jubar.
Iam quis me tanti penetralia ad alta Magistri
  Discipulum sistat morigerum et docilem,
Ut mirum divino quod dimanat ab ore
  Eloquium bibulis auribus excipiam,

Atque alto penitus condam sub pectore? ceu quum
Exustos Procyon, aut Leo findit agros,
Nubila si puro cogens notus aëre, terram
Irrorat placidis imbribus aridulam,
Illa bibit tenuem rorem, sitibundaque hiantes
Per venas imum sorbet ad usque sinum,
Atque iterum sorbet, flores dum succus in aegros,
Languentesque herbas pinguior inde venit;
Sic mihi contingat; nulla ut praecepta docentis
Nullaque vox animo defluat immemori.
Quo tamen abripior? visu num ludor inani?
An rerum species vera mihi objicitur?
Vera quidem, sed mira: tener nam cernitur Infans
Heic tantum, et saturo caula parata gregi.
Illa Parens, Puerum teneris quae versat in ulnis,
Et flentem nivëis admovet uberibus,
Illa quidem magnorum etsi decora alta parentum
Et gestu et vultu praeferat ingenuo,
Ast humili in tunica pudibunda atque omnium egena
Rerum, oculos carum dejicit in Puerum;
Et queritur brumali algens quod frigore corpus
Cogitur in rudibus volvere fasciolis,
Duraque carpendo sordens cunabula somno
Agresti stabulum praebeat e stipula.
Quid Puer? aut silet, aut vagit, caraeque Parentis
Levia protendens brachia quaerit opem.
Hoc tamen in Puero (ne quis vagitibus aptum
Nescius, aut solis fletibus esse putet)
Hoc tamen in Puero, Pueroque silente Magistrum
Ante omnes fas est noscere grandiloquum:

Vagitus etenim, et vagitibus intermixtae
  Lacrimulae, capta et membra tenella gelu,
Fasciolaeque rudes, paleaeque loquuntur, ut omnis
  Divino caula haec personet eloquio.
Conditor hic namque, et rerum arbiter omnigenarum,
  Assurgit rutilans cui super astra domus,
Largifluos olim qui de caelestibus imbres
  Thesauris, gelidas elicuitque nives,
Qui madidas ventorum humeris innexuit alas,
  Nubesque ant agere aut solvere posse dedit,
Dum sibi mortalis venienti lucis in oras,
  Posthabitis regum sedibus atque opibus,
Lustra legit rigidae nusquam non pervia brumae,
  In duro accliuans stramine molle latus,
Deciduaque alget nive, nocturnisque madescit
  Imbribus, aut saevo flante aquilone riget,
Iam nunc exemplo verbis potiore Sophorum,
  Quorum urbes implet fama Pelasgiades,
Iam nunc caelestis doctrinae oracula promit,
  Quae cupienda homines, quae fugienda docens;
Felicemque vocat titulos qui sperait avitos,
  Et patrias forti pectore divitias,
Et quaecumque hominum generi malesuada voluptas
  Illita Circaeo pocula melle parat;
Felicem, qui vitae ultro genus aerumnosum
  Instituit, largo et deterit imbre genas.
Tempus erit quum Iudaeae haec praecepta per urbes
  Divini promens pectoris ex adyto,

Adstantes longe populos, lateque docebit,
Firmabit signis et nova verba novis.
Qui tanto tamen exemplo inconcussus, honores
Anxius aut fluxas quaerit avarus opes,
Otia qui sequitur curarum nescia, blandae
Nec potis est vitae avellier illecebris,
Ostentisque novis, diaeque impervia vocis
Huic ego fulminibus pectora inesse putem.

ELEGIA VI.

IN ADVENTU FRANCISCI I. AUSTRIAE IMPERATORIS

ROMAE PROSOPOPOEIA.

Illa ego quae primum late omnem Urbs Romula surgens
E septem domui collibus Ausoniam,
Dein Lybiae Ausoniam transgressa Asiaeque subactis
Latius omnigenis jura dabam populis,
Nulla ut Romuleis esset non subdita virgis
Gens, qua sol geminum prospicit Oceanum;
Et domina audirem regnorum maxima, Regumque,
Et, quas terrarum sustinet orbis, opum;
Quum tamen aequaret se nostra potentia caelo,
Nilque datum nostro non foret imperio,
Tantas inter opes animo mecum ipsa dolebam,
Provisum optatis non satis esse meis.

Optabam placida gentes ditione teneri,
Et facili Latio sponte subesse Iovi.
Namque hominum strepitu armorum quid corpora prodest
Subdere, ni miti jure animos subigas?
Heu pudet haud cives victum immisisse per orbem,
Qui leni populos imperio regerent;
Regna sed implacidis spolianda dedisse tyrannis,
Praeduroque hominum colla premenda jugo!
Heu quoties dixi: Latio distantia cives
Regna mei ah temere barbara regna vocant!
Quid mage barbaricum, Regum quam libera tergo
Brachia per sacram ferre retorta viam?
Ah ubinam totus quam suspicit orbis, et uno
Regia majestas illa Tonante minor!
Sic ego saepe, meas vires quum invita viderem
Augeri, augurium pectore triste premens.
Nec temere versasque vices sublapsaque retro
Fata mali instantis praescia mens timuit.
Nam ferro populatae olim, exosaeque meorum
Imperium gentes praegrave Romulidum,
Conflagrare odiis, furiisque assurgere justis,
Poenasque indecoris sumere servitii.
Arctois effusa plagis jam sera Gigantum
Progenies ruptis legibus arma rapit,
Totque vocans in bella viros, quot nimbus ab alto
In mare praecipitans aethere versat aquas,
Ausoniae trepidas ruit exspatiata per urbes
Ferroque et flammis obvia quaeque vorans.

Ah sero injustos retulisse ex orbe triumphos,
Sero meos cives postibus exuvias
Suspendisse Deûm, laevo quas Regibus olim
Abstulerant domitis omine, poenituit!
Ipsa etiam tantis periissem fracta ruinis,
Et reliqua imperii vix foret umbra mei,
Ni nova Relligio tanto in discrimine rerum
Ne caderem, e caelo lapsa tulisset opem.
Nam victrix Asiae postquam penetravit in urbes
Illa meis sese moenibus inseruit.
Tunc Aquilis alta Capitolî ex arce refixis
Emicuit signum Crux veneranda novum.
Ima relegatis ego tunc in tartara bellis
Cum magnis iuii foedera Principibus;
Aurea quos toto condentes secula mundo
Excepi placido saepius hospitio:
Quos inter quam nunc laetor tibi quod meus undas
Explicuit Tibris caeruleumque sinum,
Francisce Austriadum Induperator maxime: quam nunc
Major quam priscis consulibus fuerim,
Quam praeclara magis fio! ne fortia facta
Commemoret mihi, ne quis decora alta patrum,
Ne fasces, lauros ne fascibus intermixtas,
Cunctaque Caesaribus regna subacta meis.
Quid moror antiquos titulos, quid ab arce tonantem
Illum Tarpeja bella timenda Iovem?
Haec levis est jactura: hospes tua, junctaque tecum
Si vocer aeterno foedere amicitiae,

Hoc satis est,.Francisce; meis amplectier ulnis
  Te satis est; dici quae fuerim ante piget.
Amplexus ne sperne meos: sine dicere grates
  Me tibi, pro meritis atque referre tuis.
Non etenim quanta nuper me juveris in re
  Decidit, aut unquam decidet ex animo;
Interitum mihi quum intentaret perfidus hostis,
  Servitium et quovis turpius interitu;
Quum pessum mea sacra daret, mea templa, meumque
  E sacra in currum tolleret aede Pium,
Hostiles ut passurum raptaret in oras
  Indigni aerumnas (proh scelus!) exsilii.
Haud impune quidem; namque in discrimine tanto
  Non tuus ille in me talia passus amor:
Invictos sed sacra vocans in foedera Reges
  Littore ab occiduo ad littus hyperboreum,
Ingruis, edomitoque Pium in sua regna remittis
  Hoste, almi frangens impia vincla Senis.
Aspice ut impatiens celsa de sede Quirini
  Te vocat, amplexus emicat inque tuos.
Ite agedum, junctis pia gaudia jungite dextris,
  Pendentes sermone alter ab alterius,
Felices animae; et dubiis succurrite rebus,
  Hostis si qua vafer bella minatur adhuc.
Tuque o sancte Senex, uni cui summa potestas
  Claudere caelestes et reserare fores,
Tu sancti Pastor gregis, et supreme Sacerdos,
  E caelo arcesse, et quam potes affer opem,

Tuque arce, Francisce, meis e finibus hostes,
Tu mea praevalida sacra tuere manu;
Posteritas ut sera Pii quum ad sidera nomen
Sublatum, et laudes et benefacta leget,
De te etiam, Francisce, tuisque ingentibus in me,
Inque illum meritis fama loquatur anus.

ELEGIA VII.

CALLIMACHI IN LAVACRA PALLADIS.

ARGUMENTUM.

Puellas Argivas Minervae simulacrum, quod impositum curru sollemni pompa deduci, atque in flumine Inacho una cum clypeo Diomedis ablui solebat, excepturas alloquitur Poeta: docet quid fieri opus sit ad sacrum rite conficiendum: monet ne quis virorum spectator accedat; nam, dea conspecta, oculos amissurum: id olim accidisse Tiresiae, cui, filio Chariclus nymphae, qua nulla fuerit Minervae acceptior, deam tamen fortuito visam oculos ademisse.

Ite puellae, ite o loturae Pallada; sacras
Hinnitum audivi tollere nuper equas.
En venit, en properat curru Dea vecta decoro,
Ite agedum, flavae o ite Pelasgiades.

Nunquam humeros lavit sibi magnos illa, priusquam
  Ilia sordentum terserit alipedum;
Omnia ne foedata quidem quum rettulit arma
  Dirorum victrix sanguine terrigenum (1);
Colla jugo prius at fumantia solvit equarum
  Sudoremque undis perluit Oceani,
Guttasque et spumam tersit, quae plurima circum,
  Dum frenos mandunt dentibus, ora riget.
Ite o Achaïades; neve unguina, neve alabastros,
  (Aeratae, auditis? jam crepuere rotae)
Vnguina non illi, non fragrantes alabastros,
  (Vnguine nam mixto Diva madere negat)
Non speculum ferte: est olli pulcherrima semper
  Forma; nec in nitidis se Simoëntis aquis,
Nec se vidit in aere, foret quum in collibus Idae
  Iudicis arbitrio lis dirimenda Phrygis (2).
Nec Iuno: capto solum Venus aere nitente
  Discrevit, rursum composuitque comam.
At centum postquam spatia et bis dena cucurrit,
  Sidera ad Eurotan ut Lacedaemonia (3),
Inde mero tantum Pallas perduxit olivo
  Membra, quod e baccis presserat illa suis (4);
Atqui olli rubor affulsit, ceu quum rosa mane
  Pulcra novo, vel quum punica grana rubent.
Ergo quo Castor, vel quo perfunditur heros
  Amphitryoniades, vim modo ferte olei;
Ferte etiam aureolum, possit quo fingere crines,
  Pectinem, et uvidulam tergere caesariem.
Egredere o Pallas; turba en tibi grata, puellae
  Adsunt, magnorum sanguis Acestoridum (5).

Magna exi o Diva; effertur Diomedis, ut exstat
  Mos vetus Argivis, en tibi jam clypeus (6).
Hunc docuit morem gratus tibi, Diva, Sacerdos
  Eumedes, populi dum fugit insidias:
Quippe in se vitans conscita pericula, Crias
  Ille tuam in rupes sustulit effigiem,
Sustulit, imposuitque in pumicibus praeruptis,
  Abs te Pallatisin queis modo nomen inest.
Exi age, bellipotens Virgo, quae casside gaudes
  Aurata, et clypeûm et quadrupedum strepitu.
Vos hodie quae fertis aquam (fontes bibat Argos;
  Non fluvios hodie) parcite fluminibus; (7).
Atque urnas alio, famulae, sive ad Physadiam,
  Sive ad Amymonem ferte Danaïadem.
Namque hodie labens e montibus Inachus almis
  Floribus atque auro flumina mixta feret:
Palladi tam pulcre fluet ille; hinc cede, lavantem,
  Cede o, ne videas forte, Pelasge, Deam.
Qui nudam aspiciet Divam, quae praesidet altis
  Vrbibus, haud Argos viderit ille iterum (8).
Diva exi; interea his dicam quiddam ipse puellis;
  Nec meus hic, priscae est sermo sed historiae.
Nympham olim, o puerae, Thebis Tritonia Pallas
  Ante omnes unam deperiit comites,
Matrem Tiresiae, suerat quam linquere nunquam;
  Ast illam, ad veteres seu Dea Thespiadas,
Sive Coroneas (ubi lucus odorifer olli,
  Curaliumque arae stant positae ad fluvium)
Sive Coroneas (9), seu culta secans Boeotûm
  Praepetibus ferret sese Haliarton equis,

Saepius in curru secum tollebat eodem;
  Illi Nympharum nec chorus ullus erat,
Nec choreae dulces, ni dux foret alma Chariclo:
  Debitus at qualis luctus erat miserae,
Vna esset quamvis prae cunctis cara Minervae!
  Namque olim peplos dissoluëre simul,
Inque Hippocrenes Heliconidos amne lavabant
  Vna ambae, mediam sole tenente viam,
Ambae torrentis lenibant temporis aestus,
  Alta nemus late dum tenet omne quies.
Forte ibi cum canibus prima niger ora juventa
  Sacra ibat solus per loca Tiresias;
Quumque siti (miser heu!) flagrans venisset ad amnem,
  Invitus quae non aspicienda videt.
Cui Pallas quamvis ira succensa, Deorum
  Nam quis te malus huc mox cariturum oculis,
Fatales quis te, Everida (10), huc duxit ad undas?
  Sic ait, et puero lumina nox operit.
Obstupuit, tremuere artus, mens indiga torpet
  Consilii, et gelido lingua retenta metu.
At Nympha exclamat: quid gnatum mi Dea perdis?
  Hiccine Divorum est fructus amicitiae?
Hei mihi nati oculos rapuisti! heu pectora, nate,
  Vidisti, infelix, Pallados et femora!
At non solem iterum aspicies: o me miseram! o mons!
  O Helicon posthac non adeunde mihi!
Lumina qui pueri, parvis tibi magna rependens (11),
  Paucis pro cervis capreolisque tenes.

Sic natum ambobus mater complexa lacertis
  Flebat, ut amissum flet Philomela Itylum.
At luctum carae Pallas miserata sodalis
  Sic illam dulci leniit alloquio (12).
Parce irae, o Nympha, et dixti quaecumque retracta;
  Lumina non puero non ego surripui;
Nam puerorum oculos auferre haud Palladi dulce est:
  Ast hoc Saturni lex jubet illa senis;
Qua sanxit ne quis sine magno numina damno
  Aspiciat, nisi si cernier ipsa sinant.
Nec vero ut primum fudisti in luminis auras,
  Quod nevit puero Parca severa tuo,
Id revocari unquam pote: tu tamen accipe quae te,
  Everida, olim praemia magna manent.
O quot Cadmeis nequidquam adolebit ad aras, (13)
  O quot Aristaeus munera numinibus,
Impubem ut videant vel caecum Actaeona natum!
  Fidus erit Triviae sed licet ille comes,
Nil tamen et cursu cum Diva in montibus altis
  Proderit, et jaculis sollicitasse feras,
Quum Divam aspiciet quamvis non sponte lavantem;
  Nam canibus fiet protinus esca suis;
Atque omnes mater saltus miseranda pererrans,
  Vix nati in moestos colliget ossa sinus:
Et te felicem dicet, vel lumine captum
  Quae natum reducem videris e nemore.

Parce igitur lacrimis; huic ipsa amissa rependam
  Te propter magnis lumina muneribus.
Namque unum efficiam, stupeant quem postera vatem
  Secula, prae cunctis vatibus egregium;
Et faustos avium et laevos dabo nosse volatus,
  Et queis nec laetum, triste nec omen inest;
Multaque Boeotis oracula multaque Cadmo,
  Multa canet magnis postea Labdacidis (14);
Quoque regat gressus baculum, et vestigia firmet,
  Ingentem, et vitae tempora longa dabo (15).
Quin inter sapiens etiam post funera manes (16)
  Vnus erit, magno carus et Agesilae (17).
Sic ait, et nutu sancivit dicta potenti:
  Sancivit nutu quod Dea cumque, ratum est.
Illi nempe dedit prae cunctis Iuppiter uni,
  Quas genuit, natis esse sui similem.
Nulla parens illam, at vertex Iovis edidit; illud
  Annuit ipse Pater, nata quod annuerit.
En Pallas, nec fallor, adest. vos ite, puellae,
  Queis Argos cordi est, ite, Deam excipite;
Et fremitu et cantu et venienti plaudite votis.
  Salve, o Diva, Argos protege et Inachium;
Salve, et rem Danaûm serves quum deseris urbem,
  Serves huc iterum quum bona flectis equas.

ADNOTATIONES

(1) Gigantes, de quibus bellum in Iovem movere ausis heic est sermo, e terra genitos passim fabulantur poetae.

(2) *Iudicium Paridis, spretaeque injuria formae*, et Veneris cum de Pallade tum de Iunone victoria, res nulli non notae.

(3) Castor et Pollux fratres Helenae in sidera conversi. Eurotas est Laconiae flumen, ad cujus ripas Castor equis certare solitus erat, Pollux pugilatu.

. . . . *Eurotae Pollux et Castor arenis*,

Hic victor pugnis, ille futurus equis. Prop. l. III. El. 13.

(4) Oleam Minervae sacram esse passim apud veteres praesertim poetas invenies.

(5) Graecus Callimachi interpres ait, Acestoridas fuisse tribum, ex qua hae Virgines Palladis ministrae deligebantur.

(6) Docet Eumedem horum sacrorum inventorem fuisse, eumdemque, Argivis in eum conspirantibus, Palladis simulacro secum ablato in montem Crium profugisse, atque ibi Deam collocasse, ex qua rupes illae dictae sint Pallatides. Diomedis vero Argivi atque Argivorum ad Trojam ducis clypeus in Minervae fano, quum ibi Deae simulacrum erectum fuit, appensus et eidem sacratus, inde cum eo simulacro sollemni pompa ad commune in fluvio Inacho lavacrum deferri a Virginibus consueverat, ad pulverem nempe detergendum, sordesque, quibus, ut et ipsum Minervae simulacrum, juxta quod positum erat, obsitus foret, abluendas.

(7) Alloquitur mulieres, quae in privatos usus aquam ex Inacho haurire solebant, easque monet, ut ex Physadia, aut ex Amymone, cui fonti Amymone Danai filia nomen fecit, aquam petant; Inachum enim hodie non hominibus sed Deae fluxurum multo quam soleat, ditiorem ac pulcriorem.

(8) Ut homines deterreat ab inspicienda Pallade nuda, iis

periculum amittendi sensum oculorum exponit, confirmatque exemplo Tiresiae.

(9) Ita accipiendum ut si diceret *sive inquam Coroneus*. Sed hic locus ne corruptus sit vereor: quare Ernesti conjecturam secutus sum, qui duorum horum distichorum ordinem permutatum putat; repetitio enim inquit, ἡ 'πι Κορωνειας in ordine recepto est inepta; sed si posterius distichon praeponitur post parenthesin ηα—Κουραλιῳ, apta est. De Thespiis, Coroneis, et Haliarto vide Pausaniam in Boeot. Plinium lib. IV. c. 7. et Strabonem lib. IX. ubi etiam de hoc templo loquitur, cujus meminit hoc loco Callimachus.

(10) Tiresias etiam ab Apollodoro lib. 3. Everei filius fuisse dicitur.

(11) Magnum est, inquit, o Helicon, id quod aufers, parvum id quod dedisti. En quid filius meus, dum in te venatur, lucratus est: paucas capreas et cervos abs te abstulit, suos tibi oculos reliquit. Quibus verbis significatur Tiresiae magno stetisse venationem, quae illi occasio fuerit caecitatis.

(12) Purgat se matri Tiresiae Minerva de caecitate eidem illata, eam fato et Saturni legi tribuens, qua statutum fuerat, ut siquis hominum aliquem ex Diis Deabusve, ipsis invitis, vidisset, oculorum sensum statim amitteret. Deinde hanc poenae, in quam Tiresias inciderat, severitatem mitigare conatur comparatione Actaeonis, quem, quod Dianam lavantem visurus erat, non solum oculis privatum, sed et in cervum mutatum, et a suismet canibus discerptum iri praedicit. Vid. Ovid. Metamorph. III. Denique pollicetur se oculorum jacturam Tiresiae repensuram singularibus beneficiis, vitae nempe diuturnitate, facultate divinandi quoad viveret, et post mortem etiam prudentiae fama apud manes.

(13) Autonoe Cadmi filia uxor Aristaei, Mater Actaeonis.

(14) Labdacus fuit Pater Laii, avus Oedipi, proavus Eteoclis, qui omnes Thebis regnarunt.

(15) Tiresiam alii septem, alii novem aetates vixisse tradunt.

(16) Homerus Odyss. 11. tradit, Tiresiam apud inferos solum sapere, ceteros umbrarum modo vagari. Vid. etiam Hor. Sat. V. lib. 11.

(17) Agesilas, sive Agesilaus est unum ex nominibus Plutonis απο του αγειν λαους, quod ad se agat populos.

EPIGRAMMATA.

Epigramma breve carmen esse debere et venustum nemo est qui dubitet: acutumne etiam esse debeat, hoc vero est, in quo *scinditur incertum studia in contraria vulgus* eruditorum. Nonnulli ita nativam illam Graecorum Poetarum, aut, si de latinis sermo sit, Catulli simplicitatem adamant atque admirantur, ut omne in epigrammatis acuminis genus fastidiant ac respuant. Quare quum hoc acumen sic arripuerit Martialis, ut tamquam rem suam ac proprium veluti patrimonium sibi vindicaverit, ejus epigrammata pene omnia odere; atque illum sagacissimi ingenii virum Andream Naugerium, qui stato quotannis die aliquot Martialis exemplaria comburens ea tamquam inferias Catulli manibus ferebat, commemorare et praedicare nunquam desinunt. Alii contra omnem epigrammatis spiritum ac succum ita in acumine situm esse volunt, ut sine hoc illud omnino frigescere arbitrentur, nihilque habere, quod legentium admirationem et delectationem ad sese trahat. Equidem fateor argutum hoc dicendi genus tunc maxime in usu atque in deliciis esse coepisse, quum post aurea Ciceronis et Virgilii tempora ab optima illa veterum scribendi for-

ma et oratores et poetae defecerunt. Verum in aliis dicendi scribendique generibus, in quibus hoc acumen cordatorum hominum judicio improbandum esse non injuria visum est, vitio detur per me licet; neque iis laudibus aut Seneca, aut Plinius Iunior, aut Tacitus, aut Ovidius ipse, qui hanc acuminum copiam ornamentum potius orationis, quam lenocinium putarunt, extollantur, quibus superioris aetatis auctores sustolli meruerunt. Res tamen aliter mea quidem sententia se habet in epigrammatis, in quibus scribendis neque Graeci, neque inter Latinos Catullus ipse ab acumine omnino aut semper temperarunt. Innumerabilia propemodum proferre possem ex Graecorum Anthologia desumpta epigrammata, ex iis praesertim quae ad satyricorum ac ludicrorum classem pertinent, quibus hoc ipsum, de quo loquimur, acumen maximam conciliat venustatem, nisi ea notiora essent omnibus, quam ut proferri necesse sit. Ex Catulli autem epigrammatis exemplo esse possunt ea, quorum initium: *Chommoda dicebat siquando commoda vellet etc. Furî, villula nostra non ad Austri eto. Coenabis bene, mi Fabulle, apud me etc.* et alia non pauca. Non igitur ob acumina, vel ea tandem in sententia vel in dictione sita sint, sed ob acuminum immoderationem, siquando aut naturae, aut veritatis, aut decori modos excedunt, quaedam epigrammata vitiosa sunt: quod

si nonnulli diligentius animadvertissent, non ita, nullo discrimine adhibito, omnia Martialis, aliorumque ad ejus imitationem accedentium poetarum epigrammata improbassent, explosissent, exsibilassent. Itaque apage epigrammata illa acuminata et arguta, quae ultra naturae et veritatis simplicitatem excurrunt: apage quae illiberalia sunt et scurrilia; ea vero quae inverecunda sunt tamquam infames bonorum morum scopulos vita: ea tamen quae sententiam aliquam et ingeniosam et gravem, et, quod caput est, veram amplectuntur; ea quae in postrema sui parte, quam clausulam vocant, nescio quid leporis ac salis offerunt, quod emunctae naris lectorem non modo non laedat, sed recreet potius atque exhilaret; ea inquam epigrammata cur tantam tibi nauseam creent, nisi si delicatissimi fastidii homo audire cupis, non video.

Sed quorsum haec? inquiet aliquis: ut si cui ex fastidiosis hisce hominibus aliquod horum epigrammatum occurrat, quod sibi artificiosam illam Martialis argutiam et subtilitatem redolere videatur, non statim idcirco nares corrugans praeposteram me meis discipulis epigrammatum condendorum rationem obtrusisse arbitretur. Scio praecipuam epigrammatum laudem a germana illa ac naturali, in quam tantopere Graeci poetae fere omnes pendent, simplicitate plerumque oriri: scio et fateor nihil Catulli epi-

grammatis venustius elegantiusque inveniri posse: quare majorem epigrammatum meorum partem ad hanc simplicitatem et venustatem et elegantiam exigendam curavi. Quod si aliquod ex iis, inter satyrica praesertim aut ludicra excidit, quod argutiam quamdam saperet, modo ne inficeta, aut ita exquisita esset, ut a veritate aut a natura deflecteret, non illud idcirco ab aliorum numero expungendum putavi; immo religioni non habui exemplum aliquod discipulis meis ejus etiam epigrammatum generis proponere, quod si minus ad illam et Graecorum et Catulli simplicitatem accedit, non incultum tamen, neque incomptum, neque ab humanioribus litteris prorsus eliminandum videri debet.

Atque ut de illorum epigrammatum genere, quorum praecipua dos pura puta simplicitas est, quod sentio libere dicam, illud discipulis meis inculcare nunquam desinam, ea, nisi exquisita quadam linguae elegantia elaborentur, expoliantur, quasique tornentur, nisi omnes in ea dicendi amoenitates ac veluti veneres congerantur, frigidiuscula et minutula visum iri. Nihil profecto concinnius hoc Andreae Naugerii epigrammate:

Aurae quae levibus percurritis aëra pennis,
  Et strepitis blando per nemora alta sono,
Serta dat haec vobis, vobis haec rusticus Idmon
  Spargit odorato plena canistra croco.

Vos lenite aestum, et paleas sejungite inanes,
Dum medio fruges ventilat ille die.

Quod tamen, si minus latinum esset, nihil haberet, quo placere ac probari adeo posset: Idem dic de dulcissimo illo M. Antonii Flaminii epigrammate:

Pan pater, et Silvane senex, Faunique bicornes,
Tuque pharetratae candida turba Deae,
Si mea vos dulci delectat fistula cantu,
Si semper vobis annua dona fero,
Parcite purpureos, quaeso, violare racemos,
Neu tangant avidae lutea pruna manus.
Hunc agrum dat habere mihi Farnesius heros:
Gratus ego haec illi munera prima dico.

Non sententia profecto, qua nihil magis vulgare, nihil magis tritum est, sed elegantia dictionis, qua nihil pulcrius, nihil nitidius, illud tantopere commendat. Habes quod de utroque epigrammatum genere ego sentio; id nimirum quod neque ab iis, qui acuminatis epigrammatis, neque ab iis, qui simplicibus delectantur, jure improbetur.

Praeterea illud etiam te monitum volo, amice lector; ne scilicet mihi succenseas, si quorumdam epigrammatum sententias ex quodam Philippi Panantii libello desumpsi, qui, quod non pauca ex iis bonis moribus et Religioni adversantur, ne in adolescentium manus perveniat, cavendum maxime est. Ea tantum epigrammata ego selegi, quae sine morum et Religionis

periculo legi possunt; et leporem alioqui quemdam Atticum sapere mihi visa sunt. Itaque ejus, ut et aliorum auctorum, quorum sententiis usus sum, nomen apposui, ne debita illis laus detraheretur, falsa mihi affingeretur. Epigrammata, quibus auctorem sententiae non apposui, ea Marte meo lucubrata ex integro sunt.

CAPUT PRIMUM

EPIGRAMMATA MORALIA

I.

SECRETA CUINAM DETEGENDA.

Si dicis quae vis nesciri, aut dicito muto,
Aut mendaci, hic non creditur, ille tacet.
Ex Panantio.

II.

AMICI UMBRAE HOROLOGII SIMILES.

Solarî haud inscite umbrae assimilantur amici,
Quae claro apparet sole, latente latet.
Ex eodem.

III.

IN STUDIIS LITTERARUM STRENUITATE OPUS EST.

Magna facit qui magna audet: sudavit et alsit,
Palladiis punctum qui tulit in studiis.
Hoc qui curriculum ingreditur, praecuntibus instet
Strenuus, instantem nec sibi respiciat.
Ex eodem.

I V.

RESPONSIO AD EPISTOLAM DELIAE AMATORIAM.

Pauca tibi refero: ignem, quod mihi, Delia, scripsti,
Praesefert, ussitque ignis epistolium.

Ex eodem.

V.

VIR BONUS ETSI INFELIX LAUDATUR, MALUS VITUPERATUR QUAMVIS FELIX.

Tam bene vir nunquam bonus audit, perfida quam quum
Despicit illum sors, atque inimica premit.
Tam male vir nunquam malus audit, prospera quam quum
Illi blanditur sors, et amica favet.

Ex eodem.

V I.

SOROR ET FRATER, ILLA AMORIBUS, HIC ALEAE DEDITUS.

S. Numquamne abjicies talos, mi Frater? F. amantes
Quum tu destitues, o soror, abjiciam.
S. Ah nunquam emerges, in quod ludus tuus iste
Dejecit, frater perdite, te, barathro.

Ex eodem.

V I I.

PASTOR AD FISTULAM.

Dum ridet caelum, et frondes levis aura supinas
Concutit, e quercu hac, pendula avena, sile.
Interea, dum te perflabit lenior Eurus,
Me juvat herboso sternere membra toro.
Heu qui nam subito cinxerunt aethera nimbi?
Iam jam praecipitis decidit imber aquae.
Surgamus propere hinc: vos qualiacumque valete
Gaudia, tam celeri praeteritura fuga.
Ex Math. Casimiro Sarbievio S. I.

V I I I.

QUISNAM VERE PROBUS ET DOCTUS SIMUL DICI POSSIT

Qui vere probus et sapiens audire cupit, sint
Facta ejus scribi, scriptaque digna legi.
Ex Gallico Cocquard.

I X.

PESSIMUM INIMICORUM GENUS LAUDANTES.

Si sapis Alconis fuge laudes, hostia Fraudis
Floribus ante aram ne redimita cadas.
Ex Tacito. Agric. 41.

X.

ALIORUM ERRORIBUS IGNOSCENDUM.

Errores hominum cernens compellor ad iram;
Ast si me intueor protinus ira cadit.
Ex Gallico Pannard.

X I.

IN DAPHNIDEM SE APUD AEGLEN LAUDANTEM.

Noli admirari cur quando invisimus Aeglen,
Daphni, mihi comis sit, gravis illa tibi.
Tu laudas formamque tuam viridemque juventam,
Ipse autem veneres nil nisi laudo suas.
Ex Gallico Cocquard.

X I I.

IN CINNAMUM SUI GENERIS NOBILITATEM IACTANTEM.
POETA ET CINNAMUS.

P. Quidnam nos inter distamus, Cinname? C. multum:
Nam generosa mihi est, vilis origo tibi.
P. Nempe tui rure abscesserunt mane, ligonem
Vespere majores deseruere mei.
Ex Bettinellio.

X I I I.

MULIERES PRETIO CAPIUNTUR. VIATOR ET AMANS.

V. Cui flores? A. Gallae. V. Quorsum? A. Ut
miserescat Amantis.
V. Falleris: hoc auro haud floribus efficitur.

X I V.

THYRSIS AB AEGLE CONTEMPTUS AB AEGLE
NUNQUAM DISCÉDIT.

Quinte, rogas, Thyrsis cur quum temnatur ab
Aegle,
Se nunquam ex Aegles dimoveat latere?
Ne frustra credas contemni; namque patentem
Contemptum occultus saepe rependit amor.

X V.

QUALES PARENTES TÁLES FILII.

Is retro semper, sic nato Cammarus olim;
Iam recta, ut par est, o bone, progredere.
Cui natus, tibi me, pater, adversarier absit:
I prae, pergentem recta ego pone sequar.
Ex Gallico Anonymi.

XVI.

SAPIENTIS IRA.

Vt, venis abstrusa suis quum semina flammae
Protinus emittit tunsa silex chalybe,
In tenues ignis vanescens protinus auras
Spectantum sese surripit ex oculis;
Sic animo Sapiens siquando protinus iram
Concipit, ex animo protinus ira cadit.

XVII.

QUOMODO ET PULCRIS ET FOEDIS PUELLIS SPECULUM TRACTANDUM SIT.

Et pulcras vellem et foedas tractare puellas,
Ni cui mirum esset, saepe manu speculum.
Pulcras, ne pulcrae sibi sunt quae commoda formae,
Nequitiae cedant exsuperata malis:
Foedas, ut foedae sibi sunt quae incommoda formae
Virtutis cedant exsuperata bonis. (*)

(*) Quotidie, inquit, speculo vos uti volo:
Tu formam ne corrumpas nequitiae malis;
Tu faciem ut istam moribus vincas bonis.
Phaedr. Lib. VIII. Fab. III.

XVIII.

DE MORIBUS NOSTRORUM TEMPORUM.

Si nostros ridere velis, Democrite, mores,
Heraclite haec si tempora flere velis,
Splenem unum haud tibi crediderim, Democrite, binos
Heraclite tibi nec satis esse oculos.

Ex Oweno.

XIX.

AULOEDUS SIT QUI CITHAROEDUS ESSE NON POTEST.

Ne desponde animum, citharae si fila canorae
Experta nescis tangere, Quinte, manu.
Non una est via gloriolae: est tibi tibia; fies
Tibicen, fieri qui citharista nequis.

Cic. pro Mur. cap. 13.

XX.

QUI DIVITIIS INSERVIT OMNIUM SERVORUM MISERRIMUS EST.

Quisquis hero servit miser est; et quo mage dives
Est herus, hoc servus fit magis ipse miser:
Nam dives plerumque superbus; herique superbi
Nil servo esse potest durius imperio.
Iam quis erit servos mage te miser inter habendus,
Ipsis qui servis, Pontice, divitiis?

X X I.

DE DOCTRINA CUM PIETATE CONJUNGENDA.

Non ego contemno, nullo quae splendida cultu
Doctrinae, simplex et rudis est pietas.
Quin Virgo illa mihi forma praestante videtur,
Quae sinit in propriis membra nitere bonis;
Quae neque vim, tardae metuens neque damna senectae
Nullo non aeque tempore pulcra manet.
Ast sine doctrinam pietate aspernor, ab uno
Quae cultum ingenio vel petit arte suum;
Quam vel tempus edax, vel longa oblivio carpit,
Eximiam livor nec sinit esse diu.
Quod si doctrinae pietas comes est, nihil aut hac
Cultius, aut illa firmius esse reor.

X X I I.

AD RUFUM INTER VIRTUTEM AC VITIUM FLUCTUANTEM.

Inconstans animi vitium qui fluctuat inter
Virtutemque, anceps non erit ille diu.
Nunc bonus es, nunc, Rufe, malus; nunc allicit huc te
Virtus, paullo post abripit huc vitium.
Quid fiet? nunquam in virtutem pronus, at unum
Semper eris flecti cereus in vitium.

XXIII.

HOMO INTEGER IN ADVERSIS INTERRITUS.

Amissis velis ruptisque rudentibus aequor
  Per tumidum huc illuc irrequietus agor.
Vnda fremit, tenebrosa obducunt nubila caelum,
  Deficit ars, vis et turbinis aucta furit.
Insequitur Fortuna; nec in discrimine tanto
  Auxilium misero qui ferat ullus adest.
Deseruere omnes: modo sed tu sola supersis
  Integritas, custos addita fida mihi,
Me virtute mea involvam, atque interritus ibo
  Fortunae quo me cumque libido rapit.

Ex Metast. in Dram. Artax. Act. 1. Sc. 15.
Vo solcando un mar crudele etc.

XXIV.

UT ADOLESCENTEM, IN QUO SENILE ALIQUID, SIC SENEM, IN QUO EST ADOLESCENTIS ALIQUID, PROBO.
CIC. DE SEN. C. II.

Sola odi juvenem qui tractans ludicra nunquam
  Immiscet nugis seria futilibus.
Odi sola senem qui tractans seria nunquam
  Immiscet gravibus ludicra consiliis.
Ille mihi quamvis vernante aetate probatur,
  Non nihil in cujus mente senilis inest.
Ille mihi quamvis devexa aetate probatur,
  Cujus adhuc aliquid mens juvenilis habet.

XXV.

IN PONTICUM DE DIERUM ET NOCTIUM LONGITUDINE SEMPER QUERENTEM.

Cur tibi longa dies, tibi cur nox longa videtur,
Et breviter dicam, Pontice, et ingenue.
Mane dies illucescat, tibi vespere seu nox
Ingruat, omne teris tempus inutiliter.
Sic qua nil brevius gnavis solet esse, tibi nil
Ignavo vita longius est hominum.

XXVI.

IN HISBONEM VITIA SUA TEMPORIBUS ET MORIBUS EXCUSANTEM.

Temporibus culpam atque adscribis moribus, Hisbon,
Perditus in vetitum quod ruis omne nefas;
Nec solum hoc culpas praetexis nomine, sed te
Laudas, moresque et tempora quod sequeris.
Atqui Heraclitus moresque et tempora flevit,
Risit moresque et tempora Democritus.
Ergo apage hinc, Hisbon, qui fletu dignave risu
Quae sunt, ponenda in laudibus esse putas.

XXVII.

AD RUFULUM, DUM AGYRTEM RIDET A FELE, QUA CUM LUDEBAT, SCARIFICATUM, UT AB AUFIDII MALI ADOLESCENTIS FAMILIARITATE CAVEAT.

Rides, quod feles, qua cum ludebat Agyrtes,
  Illius impubes laeserit ungue genas.
Aufidius, quocum tam, Rufule, saepe jocaris,
  Ille malis notus moribus Aufidius,
Nonne times, pravo ne te nil tale putantem
  Exemplo, pravis laedat et alloquiis?
Non teneras, mihi crede, genas, quae res levis esset,
  Virtutem at laedet, quae gravis, ille tuam.
Deque bono nequam, vafer et de simplice factus
  Non risu, at fletu, Rufule, dignus eris.

XXVIII.

MALIS FRUSTRA FIT BENE.

Ingratum cumulans benefactis, Crispe, Sabinum,
  In cava fluxuras dolia fundis aquas.

Luciani ex Anthol.

XXIX.

OVIS LUPAE CATULUM LACTANS.

Subripuit demens quem matris ab ubere, jussit
Lac praebere lupo me meus Vpilio;
Nec vidit vires versurum ubi creverit in me,
Quas nunc ille meis haurit ab uberibus.
Nulla illis etenim placandis gratia par est,
Queis natura ferox indidit ingenium.
Incerti ex Anthol.

XXX.

AD PONTICUM DE CRISPO APERTE MALO
ET DE LYCO SPECIE TANTUM BONO.

Perfricuit frontem Crispus, positoque pudore
Non satis esse malus, ni malus audit, habet.
Est aeque malus, at metuens dispendia famae
Virtutem prae se fert Lycus ore tenus.
Vita igitur rabido pejus cane, Pontice, Crispum,
Si sapis, occulto pejus et angue Lycum.

XXXI.

STULTITIA AMORIS DUX.

Stultitia infremuit, mater quod Cypris Amori
Oscula libavit plurima, nulla sibi.
Nesciaque invidiam compescere, lumina Fratris
Fodit acu: ex illo vulnere caecus Amor.
Iuppiter ast pueri casum ut prospexit iniquum,
Haud impune scelus tam grave passus, ait:
Lumina quod dempsit fratri, hanc soror impia poenam
Persolvet: fratri dux erit usque suo.

Ex carm. vern. Augustini Spinolae
Là nel ciel forte inferì etc.

CAPUT SECUNDUM

EPIGRAMMATA SATYRICA.

I.

IN QUINTUM MAGISTRATU SUPERBIENTEM.

Insipiens claro decoratus munere Quintus
Degenti summo in culmine par homini est;
Cui quotquot sunt infra homines parvi esse videntur;
Apparet cunctis ipse sed exiguus.

Ex Panantio.

I I.

IN ANTIGENEM PAUPEREM ET INVIDUM.

Antigenes moeret: sua res angustior illum
Nescio, an alterius res opulenta premat.

Ex eodem.

I I I.

IN ALCONEM SE LAUDANTEM.

Mnemosynes proles, vobis non indiget Alcon,
Pierides; laudes nam canit ille suas.

Ex eodem.

I V.

IN CAECILIANUM OBTRECTATOREM
ET PARASITUM.

Seu tu manduces, seu, Caeciliane, loquaris,
Os aperis semper sumptibus alterius.
Ex eodem.

V.

IN LUCIUM INERTEM QUI MAGNO SE INGENIO
ESSE PRAEDICABAT.

Magnum ais esse tibi, Lucî, ingenium: potius dic
Integrum; nam nunquam uteris ingenio.
Ex eodem.

V I.

EFFIGIES LEONILLAE.

Pulcra quidem effigies isthaec tua; sed sine sensu est:
Non vidi similem tam, Leonilla, tui
Ex eodem.

VII.

EFFIGIES DOMITILLAE.

En tua, quam pinxi, effigies: non, credo, placebit
  Illa tibi; noli sed, Domitilla, queri.
Nam si te in speculo nunquam fallente videbis,
  In culpa exemplar, non tibi pictor erit.

Ex eodem.

VIII.

POETAE SE MARCELLO SUBJICIENTIS MIRA MODESTIA.

Nemo modestior est me, quem, Marcelle, superbum
  Esse inquis; nam me vel tibi subjicio.

Ex eodem

IX.

IN MARCELLUM JURISPERITUM.

Rullus Marcellum juris legumque peritum
  Quae et quam magna sibi lis foret edocuit.
Ille aliud sed agens, aures, inquit, tibi si me
  Vis aperire, aperi tu mihi, Rulle, manum.

Ex eodem.

X.

IN ALEXIN BIBLIOTHECAE CUSTODEM.

Custodit libros, nunquam sed tangit Alexis:
Aerarî custos quam foret egregius!
Ex eodem.

X I.

POETA OBTRECTATORI SUO.

Assiduis tu me probris, Philodeme, lacessis,
Contra ego te exorno laudibus usque meis.
Ast obtrectantem curnam te quisque refellit,
Laudanti et nullus vult mihi habere fidem?
Ex Gallico de la Monnoye.

X I I.

IN TUCCAM MALE CARMINA RECITANTEM.

Desine praeceptis, Lollî, parere medentum,
Languida si refici membra sopore cupis.
Carmina Tuccam audi recitantem; et, ni tua somno
Clauduntur subito lumina, dispeream.

XIII.

IN ALEXIN PESSIMUM VIRGILII INTERPRETEM.

Praescia quam vatum venturi est mens! sua jussit
Comburi moriens carmina Virgilius;
Non quod non numeris absolverit omnibus: olim
Et Tucca id falso prodidit et Varius.
Sed quod, tam male eras quos expliciturus, Alexi,
Exitium timuit versibus ille suis.

XIV.

VOLTAERIUS AD INFEROS.

Quum manes inter mixtus Voltaerius imos
Sedem aliquam in populo quaereret innumero,
Arcent Historici unanimes, arcentque Poetae
Historiae probrum atque artis Apollineae:
Errantem ad sese tandem invitatque, locatque
Scurrarum prima in sede sodalitium.

XV.

IN PONTICVM CAPERATA FRONTE ALIOS DESPICIENTEM.

Sustollis caput, et subducto despicis ore,
Pontice, me, tamquam vertice ab aërio.
Nec te ego suspicio: facile nam fructibus arbor
Quae vacua est, ramos tollit ad astra leves.

X V I.

DE MULIERUM LOQUACITATE.

Posse puto fieri, ut mulier sine garrula lingua
Sit; sed cum lingua posse tacere nego.
Ex Gallico Anonymi.

X V I I.

IN ZOILUM QUI QUUM DEFORMIS ESSET PULCHER SIBI ESSE VIDEBATUR.

Iactat opes decoctor; quanto stultior est quis,
Tanto prudentem se magis esse putat.
Zoile, qui juvenes forma superare videris
Ipse tibi cunctos, dic mihi, tu quid eris?

X V I I I.

IN CRISPUM ORATOREM INEPTUM.

Quum malus Orator morienti Crispus adesset
Aulo, ne pigeat mortem, ait, oppetere.
Non omnis moriere, meum tua nam benefacta
Ex Orci tenebris eximet eloquium.
Ille, libens morior, quod non tuus iste sub Orco
Sermo meas laedet futilis auriculas.
Ex P. de Aquino S. I.

XIX.

IN FUSCUM, QUI SATYRAM IN EUM SCRIPTAM ENERVEM ESSE DICTITABAT.

Nempe humili nostros dixti pede currere versus,
  Fusce, acri qui te defricuere sale.
Quid mirum? cui non leo, sed mactandus asilus
  Occurrit, clava non eget Herculea.

XX.

DE PONTICO SANO MUSARUM CULTORE, ET DE CINNAMO FATUO MUSARUM OSORE.

Si fatuos vult esse omnes, sanosque poetas
  Excludit Pindi e vertice Democritus,
Pontice, quod Musas colis, et tu, Cinname, miror,
  Et canibus pejus quod fugis et colubris.

XXI.

IN QUINTUM POETAM MALEDICUM ET INEPTUM.

Exple iram in me, Quinte, tuam, madidisque veneno
  Perge tuis male mi dicere carminibus.
Plurima enim licet in me scribat carmina, scribit
  Nulla tamen, cujus carmina nemo legit.

Ex Gallico Marat.

XXII.

IN PONTICVM POETAE CALVITIEM EXPROBRANTEM.

Quod nullis tegitur calvaria nostra capillis
Rides, remque putas, Pontice, turpiculam.
Id potius turpe est, tua quod calvaria nullam
Vel minimam claudit particulam cerebri.

XXIII.

IN CHAERILUM SENEM PUELLIS BLANDIENTEM.

Claudus es, et choreis vis indulgere, puellis
Qui vetulus dicis, Chaerile, blanditias.
Ex Gallico le Brun.

XXIV.

IN QUINTUM OMNIUM POETARUM CARMINA LAUDANTEM.

Nullum non laudas recitantem carmina, honori
Sic nulli tua laus est, tibi, Quinte, probro.
Ex Gallico Pavillon.

XXV.

IN LONGARENUM DIVITEM ET HEBETEM.

Pinguia cuncta Deos tibi, Longarene, rogasti,
Pinguem agrum pingui cum lare, pingue pecus.
Annuerunt faciles, et, nequid pingue deesset,
Dî dederunt etiam pingue tibi ingenium. (*)

XXVI.

IN TARPAM GARRULUM MAGIS QUAM DOCTUM ET INGENIOSUM.

Septem illos aliosque Sophos, quos Graecia jactat,
Omnes doctrina et vinceret ingenio,
Doctrina tantum, tantum si Tarpa valeret
Ingenio, quantum garrulitate valet.

(*) *Pingue sed ingenium mansit*. Ovid. Met. 11. v. 148. hoc est stupidum, hebes, tardum. in eodem sensu Hor. Sat. 6. lib. 2. v. 14. *Pingue pecus domino facies, et cetera praeter ingenium*.

XXVII.

IN RUFULUM DE OMNIBUS PERPERAM LOQUENTEM.

Litterulas didicisse omnes te, Rufule, jactas,
Immisces te sermonibus omnigenis;
Omnigenasque artes percurris: quilibet auctor,
Qui prorso aut verso scripserit eloquio,
Iudice censetur sub te: te nulla loquente
Editur, aut vox siqua editur, obstrepitur.
Nemo tamen te laudat: id est nescire silere,
Crede mihi, non est, Rufule, scire loqui.
Ex Gallico Russeau.

XXVIII.

IN HERMOGENEM JUDICEM MERCENARIUM.

Vendere jus auro judex solet Hermogenes, rem
Tam magnam gratis se dare posse negans.
Ex Gallico Neuschateau.

XXIX.

AD AULUM PUELLIS FRUSTRA SCRIBENTEM.

Nescio quid tot scribas et tam saepe puellis;
Hoc scio, rescribit nulla quod, Aule, tibi.
Ex Gallico Cocquard.

XXX.

IN LINDORUM SUIS SODALIBUS PAULLO MINUS FATUUM.

Est facilis Lindorus, amicus, comis, honestus,
  Omnibus inque omnes fungitur officiis.
Verbo dicam uno, comites, quibus utitur, unus
  Paullo inter fatuos est tolerabilior.
Ex Gallico Gombaud.

XXXI.

IN PONTICUM SUIMET IPSIUS AMANTEM.

Nullus amans felix: incommoda cetera mitto:
  Rivalem quisnam ferre in amore queat?
O te unum felicem inter tot, Pontice, amantes,
  Qui sine rivali te et tua solus amas!

XXXII.

IDEM BREVIUS.

Quid sine rivali tandem securus amaret,
  Ponticus invenit: se et sua solus amat.

XXXIII.

IN AMPHILOCHUM HEREDEM PRODIGUM.

Heres Amphilochus Corvini in funere gestit,
Heres non aeque gestiet Amphilochi.

XXXIV.

IN GLAUCIAM SUO JUDICIO DOCTISSIMUM.

O utinam doctus non tam quam Glaucia, sed quam
Glaucia se doctum praedicat esse, forem!
Ex Stymphalico.

XXXV.

POETA TARPAE EDENTULO OBTRECTATORI SUO.

Latras, at mordere nequis mea carmina; nam dens
Impuro superest nullus in ore tibi.
Ne cessa sed, Tarpa, magis latrare magisque;
Nam latrare sat est ut videare canis.
Ex Ang. Politiano.

XXXVI.

AD DEBITOREM LITIGIOSUM.

Quod mihi ne solvas quod debes, causidicorum
Ad tricas toties confugis atque apinas,
Nequitia est; sed quod tricosis, quod mihi debes,
Causidicis solvis, Pontice, stultitia est.

Ex Owveno.

XXXVII.

IN MAURUM POETAM PLAGIARIUM.

Nocturna scribis quae, Maure, manu atque diurna,
Edis et in lucem carmina, nullus emit.
Num caussam quaeris? quia nulli, qui sit honestus,
Non rem subreptam relligio est emere.

XXXVIII.

IN PONTICUM AVARUM.

Sunt tibi opes, opibus sed servis: dives es ergo
Non herus, ast dives, Pontice, mancipium.

XXXIX.

IN HOMINEM NEQUAM SUOS PATRONOS JACTANTEM.

Quid mihi fautores, mihi quid, Laevine patronos
Enumeras, quorum copia magna tibi est?
Ille patrocinio, male qui facit, indiget, a se
Vt scelerum poenas arceat, aut minuat.
Nequam es? sis per me licet; at jactare patronos
Desine, nequitiam ne fateare tuam.

XL.

IN PAULLUM DOCTUM QUIDEM SED FASTU PLENUM.

Ingenium mihi, Paulle, tuum et praeclara probatur
Doctrina, at fastus displicet ille tuus,
Quo turges, omnes tanquam si noveris artes,
Graecia quas olim protulit et Latium.
Multa quidem, fateor, scis; at si scirem ea tantum
Quae nescis, quam te doctior ipse forem!

X L I.

IN CINNAMUM CONVIVATOREM AVARUM.

Quod coenaturo quum mensa apponitur, uno
  Ex ovo satis est parva placenta tibi,
Ne vigilem ducas conferto abdomine noctem,
  Pene tuam laudo, Cinname, avaritiem.
Quod vero, si ovum adjicias non amplius unum,
  Provisum reris sat tibi satque mihi,
Atque domum cogor stomacho latrante reverti,
  Perque torum tota vertere nocte latus,
Non modo non laudo, at nequeo quin teque tuamque
  Devoveam diris, Cinname, avaritiem.

X L I I.

IN PAMPHILUM PROLIXO SERMONE NIHIL DICENTEM.

Inveni raro veterum qui more Laconum
  Plurima, sed modico diceret eloquio.
Saepe Asianorum inveni qui diceret instar
  Verborum ingenti paucula circuitu.
Inveni sed nondum aliquem te, Pamphile, praeter,
  Qui sermone nihil diceret immodico.

XLIII.

IDEM IN DAMONEM.

Dicendi duplex stilus est: Asiaticus alter,
  Qui multo pauca amplectitur eloquio.
Pressior hoc alter potiorque Laconicus est, qui
  Exiguo multa amplectitur eloquio.
Tertius et novus accessit Damone loquente,
  Qui multo nihil amplectitur eloquio.

XLIV.

IN AURELIUM MALUM SCRIPTOREM, DICTITANTEM SE IN SCRIBENDO NON VERBIS SED REBUS CURAM IMPENDERE.

Te nihil, Aurelî, in scribendo verba morari,
  Ast operam in solis ponere rebus ais:
Hinc omnes pendere sophos, queis maxima cura est
  Et verum et veri quaerere divitias:
Grammaticis verborum apinas tricasque relinqui,
  Quorum est sermonis quaerere quisquilias.
Iure igitur tua me versantem scripta timebam,
  Rerum incredibilis copia ne premeret;
Sed legi; rem, scitu esset quae digna, nec ullam
  Inveni verbis pressus ab innumeris,
Quae sensu vacua, et se inter male sarta videntur
  Digna Sophis risu, Grammaticis ferula.

X L V.

IN THALIARCHUM NON LATINE, UT IPSE PUTAT, SED BARBARE LOQUENTEM ATQUE SCRIBENTEM.

Scriptores sic a teneris versare latinos
  Suevi, in iisque oculos pascere et auriculas,
Vt facili mea percipiat teneatque labore
  Mens quae illinc oculis haurit et auriculis.
Ast auscultanti tua dicta aut scripta legenti
  Sic oculi languent auriculaeque rigent,
Vt rerum, quas et dici scribique latine
  A te inquis, mentem nulla meam subeat.
Quorsum haec? ut videas, non te, Thaliarche latino,
  Sed sermone loqui et scribere barbarico.

X L V I.

DE LESBIA ET GELLIA.

Cui formam natura dedit, sine femina cultu
  Apparet trita pulcra etiam in tunica.
Ast formam contra si cui natura negavit,
  Ornata apparet turpis et in tunica.
Tu quamvis inculta, Venus mihi, Lesbia, visa es,
  Culta licet visa es, Gellia, Tisiphone.

X L V I I.

AD PAMPHILUM DE EJUS UXORE HEROPHILE POST UNUM A NUPTIIS LUSTRUM DEMORTUA.

Vxor postquam unum tecum tua, Pamphile, lustrum
Vixit, difficilis taedia passa viri,
Occidit Herophile, innumeros cum conjuge, si quem
Nacta esset, facili vivere digna dies.
Nec dicas propero praereptam funere, quam vix
Tecum unum rebar vivere posse diem.

X L V I I I.

AD RUFULUM SE MAGNUM OB MAGNAS AMICITIAS PUTANTEM.

Nomina magna crepas semper, magnusque videris
Esse tibi ob magnas, Rufule, amicitias.
Ast quum nulla tibi virtus sit magna, pusillum
Nilque tuum magni proferat ingenium,
Iure equidem timeo, ne limina magna frequentes,
Non quod apud magnos magnus habere viros,
Sed magni quod saepe viri festiva sequuntur
Cum scurris curis otia posthabitis.

XLIX.

GRAECVLVS ET VATES.

Graeculus eximio sic vati: ego pango diebus,
Quam tu mille annis, carmina plura tribus.
Cui vates, mea mille annos sed, Graecule, vivent
Pauca licet, tua tres carmina multa dies.

L.

IN POSTVMVM RABULAM DIVITEM.

Divitias aliis longinquo e littore merces
Advectae, emenso jure dedere mari.
Fortia jure alios ditarunt facta sub armis,
Iure alios patrii jugera culta soli.
Te rabulam ditem fecerunt, Postume, tricae,
Clamosique apinae et subdola verba fori.
Divitias igitur, quarum tibi copia tanta est,
Iura quidem, sed non jure dedere tibi.

LI.

IN CAECILIANUM DICTITANTEM NULLO LABORE STARE SIBI CARMINA.

Carmina stant nullo tibi, Caeciliane, labore:
Credo equidem; nullo stant etenim pretio.
Ex Panantio.

L I I.

IN LIGURINUM SE MAGNO INGENIO PUTANTEM ET MAJORA SUIS VIRIBUS STUDIA AGGREDIENTEM.

Ingenio magno quod te quis nescio dixit,
Ingenio magno te, Ligurine, putas.
Et magno ingenio magnam te Pallada reris
Complecti, atque artes omnigenas Sophiae;
Quasque olim Graji, quas excoluere Latini,
Aut parvi facis aut litterulas nihili.
At contra parvo semper qui te ipse putavi
Ingenio, miseret me, Ligurine, tui;
Et vereor ne, quas mediocriter addidicisti,
E parvo abscedant litterulae ingenio,
Majores nec succedant abeuntibus illis;
(Nam quod parva capit magna tenere nequit)
Quique aliquid tamen in re dicebare minori,
Dici in majori jam nihil incipies.

LIII.

DE FASTU CHAERILI HOMINIS PLEBEII,

Chaerilus obscuris ortus majoribus, amplam
  Elati ut tandem rem patris arripuit,
Quas pater et victu tenui, nummisque coegit
  In magno positis foenore divitias,
Prodigit in vestes ostroque auroque rigentes,
  In tecta et luxu condita magnifico;
Seque viris miscet praeclari nominis, ortum
  Seque putat magnis et crepat a proavis.
Dum tamen haec jactat, nemo non, more popelli
  Quae profert humilis, rustica verba notat:
Atque aliquis tumidum longe dum prospicit, inquit,
  En tibi purpurea Simius in tunica. (*)

(*) πιθηκος εν πορφυρᾳ vetus est Graecorum paroemia; quae in eos adhibetur, qui licet magnifico cultu ornentur, cujusmodi tamen sint ex eorum aut vultu aut loquela cognoscitur. His nihil magis ridiculum, quemadmodum nil tam ridiculum, quam simia induta purpurea veste.

CAPUT TERTIUM

EPIGRAMMATA LUDICRA.

I.

IN AUFIDIUM AD CHLORIDIS JANUAM CANTANTEM.

Rusticus Aufidius per totam carmina noctem
Chloridis ad postes dum canit, illa gemit.
Cur gemeret rogat: illa, mei fleo funus aselli:
Heu miserum! solitus sic canere ille fuit.

Ex Panantio.

II.

IN HERMOGENEM NIGROS CAPILLOS, ET CANAM BARBAM HABENTEM.

Crine niger, mentoque albus cur Hermogenes est?
Exercet malas quam caput ille magis.

Ex eodem.

III.

IN BOLLANUM FATUUM, QUI JUSSU PATRIS UXOREM DUCIT.

Quintus ait: Bollanum uxori jungere natum
Nunc noli; expecta, Pontice, dum sapiat.
Ponticus huic: nunquam ducet meus, o bone, natus
Vxorem, siquidem dum sapiat maneo.

Ex eodem.

I V.

IN APIM LUSCUM ET BIBACEM.

Haec lusco Telesinus Api: potare merum si
Perges, amittes, qui superest, oculum.
Nil oculos, ast ille, moror; sat namque superque
Vidi, sed nondum sat, Telesine, bibi.
Ex eodem.

V.

IN DUCEM METICULOSUM.

Militi ait quondam dux: quot prostraveris hostes
Scire, bone o miles, Marte fremente, velim.
Ille refert; nullum: causam vis scire? seorsum
A pugna aeque ac tu, Marte fremente, fui.
Ex eodem.

V I.

IN NERALCUM A PRAELIO FUGIENTEM.

Dum fremeret Mars, loricamque ensemque Neralcus
Abjecit, celeri se dedit atque fugae.
Occurrit quidam, et, qua te jactare solebas,
Est ubinam virtus? ille ait, in pedibus.
Ex eodem.

VII.

IN JUVENEM SENI ILLUDENTEM.

Imberbis Thyrsis senio illusurus Amyntae
  Quaero, tibi, dixit, nunc quotus annus eat.
Ille autem, ignoro: hoc scio, cui vigesimus annus
  Iam prope adest, asinum me magis esse senem.

VIII.

IN GLYCERAM SUOS AMANTES FALLENTEM.

Crinis si canus non amplius unus, amantes
  Quum fallit, Glycerae caesariem inficeret,
Quae vincit cunctas flavo nunc crine puellas,
  Canitie cunctas exsuperaret anus.

IX.

IN PONTICUM QUOTIDIE BARBAM ABRADENTEM, UT JUVENIS VIDEATUR.

Quottidie ut juvenis videare, novacula menti
  Ista tui radit, Pontice, canitiem.
Ast oleum perdes operamque, novacula si non
  Annos ista tibi raserit innumeras.

Ex Stimphalico.

X.

IN AMPHILOCHUM AVARUM A LATRONE EXPILATUM.

Quas auxit tenui pascens jejunia victu,
Divitias latro sustulit Amphilocho;
Cui, quum illas redipiscendi spes nulla daretur,
Iam fixum laqueo frangere guttur erat:
Parva sed exiguae metuens dispendia restis,
Praecipitem sese dejicit in puteum.
Ex Gallico Anonymi.

XI.

TARPA BIBAX HYDROPICUS MORITUR.

Quum ventrem turgentem hydrope videret aquoso,
Haec dicebat agens Tarpa bibax animam:
Quam nunquam potavi, tantam miror aquai
Proluviem ventri se insinuasse meo.
Ex Gallico Cocquard.

XII.

DE JOBE ET EJUS UXORE.

Humani generis Iobem pessumdedit hostis,
Non quum illi caram progeniem enecuit;
Non quum illi vastavit agros, asinasque bovesque
Sustulit, atque omnes quotquot habebat opes;
Non quum illi infecit corpus foedo ulcere, sed quum
Rixosam uxorem liquit ei incolumem.

Ex eodem.

XIII.

TUCCA PUMILUS SUPER COLUMNAM.

Ascendit pumilus sublimem Tucca columnam,
Inde magis sperans se fore conspicuum.
Quaerere tunc omnes Tuccam; sed nemo videbat;
Quique prius parvus postea nullus erat.

XIV.

IDEM MENSAE ACCUMBENS.

Hac illac quum te gradientem cerno per urbem,
Vix mihi dimidius, Tucca, videris homo.
Ast accumbentem lautae inter fercula mensae
Quum video, plusquam, Tuccà, videre gigas.

X V.

IN HERACLIDEM CARMINUM DURIUSCULORUM AUCTOREM.

Dura, Heraclide, tua si quis carmina dicit,
Non dura illa quidem sunt, sed acerba, refers.
Poma etenim sunt, quae totum servantur in annum,
Et fiunt longis mitia temporibus.
Esto hoc in pomis fieri; sed saxa quis unquam
Nativam audivit ponere duritiem?

X V I.

IN CINNAMUM SUA INEPTA SCRIPTA IN LUCEM EDERE CUPIENTEM.

In lucem tua scripta cupis dare Cinname: praesto est
Ignis: quae scriptis lux magis apta tuis?

XVII.

IN CORNELIUM ET ARUNTEM POETAS, ALTERUM TURGIDUM ET ELATUM, HUMILEM ALTERUM ET ARIDUM.

Carmina qui humanis negat esse obnoxia morbis,
Nec tua, Cornelî, nec tua legit, Aruns.
Nam tua, Cornelî, turgente hydrope laborant,
Plenaque squalentis sunt tua tabis, Aruns.
Quod legere alterutra invitus si cogerer, utra
Quaeris, Cornelî, quaeris, Aruns, legerem?
Pol tua, Cornelî, nam nemo hydrope tumentem
Attrectans metuit ne trahat inde malum:
Ast tua, Aruns, fugerem; nam quisquis proximus adstat
Tabenti tabem ne trahat inde timet.

XVIII.

IN CN. DOMITIUM AHENOBARBUM

Esse tibi barbam, Domitî, non miror ahenam,
Ex plumbo cui cor, ferrea cui facies. (*)

(*) Cn. Domitius Ahenobarbus Neronis Imperatoris atavus fuit, de quo dicebatur mirum non esse quod barbam haberet aheneam, cui os ferreum, et cor plumbeum esset. Pl. l. 17. 1. val. lib. 9. c. 1.

XIX.

DE FATUITATE TELESINI CICERONIS SCRIPTA CONTEMNENTIS.

Aurea quod Tullî contemnis scripta, precari
  Magnam aliquam vellem si tibi perniciem,
Non pestes, quae post superis e sedibus i-
    gnem
  Subductum terris incubuere, precer;
Stultitia sed ut usque tua, Telesine, fruare,
  Tullius et nunquam non tibi displiceat.

XX.

AD CALLISTRATUM MALUM LATINITATIS AUCTOREM.

Qua scribis, linguam nondum, Callistrate,
    novi;
  Quare quae misti scripta remitto tibi.
Fors legerem, si me sors (quod Deus aver-
    runcet)
  In terras raperet perfida barbaricas;
Pelignique instar vatis miscere latinis
  Cogeret invitum Pontica verba modis.

XXI.

IN PAMPHILUM DIGNUM QUI ESSET DAVI MANCIPII SUI MANCIPIUM.

Provida non ratio, Dave, ast improvida te sors
Mancipium fecit, Pamphile, te dominum.
Quod si mens sorti, ratio qua pollet, inesset,
Dave, fores dominus, Pamphile, mancipium.

XXII.

DE FEMINA FOEDISSIMA, QUAE PERSONATA VENEREM AGIT.

Es Venus, incedis quum personata, Melaenis;
Detrahe personam, μορμολυκειον eris.

XXIII.

IN CHAERILUM POESEOS PRORSUS IGNARUM, OPTIMA PATRIS SUI CARMINA TAMQUAM SUA RECITANTEM.

Optima quod recitas in docto carmina coetu,
Artem qui nescis, Chaerile, Apollineam,
Furtivo cornix ornata colore, leonis
Aut pelle indutus fors videare asinus.
Ast, cui nota tui satis est facundia patris,
Non ego te tanti criminis insimulem.
Nam memini quam multa ille et praestantia quondam
Condiderit dextris carmina Pierisin:
Illa tibi tamquam heredi obvenere: paternas
Iam quis jure tuas esse negarit opes?

XXIV.

AD CERINTHUM DE THYRSIDE AMICORUM SECRETA PRODENTE.

Nempe doles, si quid (fidos velut inter amicos
Mos est) celari quod sit opus loqueris,
Id vulgus rescire statim; frustraque fenestris
Si qua insit quaeris rimula, vel foribus,
Vnde tuis clam te verbis male fida patescat
Semita, et occulti jam queat esse nihil.
Ohe! parce fores scrutari, parce fenestras,
Remque inter comites quaere, Cerinthe, tuos:
Quorum aures si sollerter scrutabere, plenam
Rimarum invenies Thyrsidis auriculam. (*)

XXV.

IN FUSCUM L. APPULEI SCRIPTA M. T. CICERONIS SCRIPTIS PRAEFERENTEM.

Aurea fastidis Ciceronis scripta: probantur
Solum Appuleî plumbea scripta tibi.
Nec tali si lectori talis placet auctor
Mirum: est vos inter nescio quid similis:
Namque hominem velut ille asini sub pelle tegebat,
Sic tu asinum humano, Fusce, sub ore tegis.

(*) Vt rimosa vasa liquorem non retinent, sie rimosa auris quae audit non celat. *Et quae rimosa bene deponuntur in aure*. Hor. libt II. Sat. 6. v. 65.

XXVI.

IN CALLISTRATUM, QUI PONTICUM AMBIT, UT SIBI MUTUAM PECUNIAM DET.

Pontice, quid quereris quod te Callistratus ambit,
Inque tuam toties it remeatque domum?
Mutua quae poscit da illi sestertia centum,
Ac, si te perget visere, dispeream.

XXVII.

AD QUINTILLAM, CUJUS MORTI MARITUS EJUS RARO EXEMPLO PAULLULUM ILLACRIMAVIT.

Sume alacres, Quintilla, animos: versabere manes
Orci inter quandam non sine gloriola.
Nam tua non solum conjux tuus ossa sepulcro
Condidit, exstinctae misit et inferias;
Sed tua, quod nunquam uxori aut vix contigit ulli,
Ornavit paucis funera lacrimulis.

Incerti ex Anthol.

XXVIII.

AD AULUM PAUPEREM ERGA NORBANUM DIVITEM TURPITER OFFICIOSUM.

Offendis quoties Norbanum, detegis, Aule,
  Sinciput, et totum te prope sternis humi.
Ille audit dives, tu pauper: novimus ergo
  Quorsum tam turpe hoc pertinet obsequium.
Quae tibi araneolis plena est, implere crumenam
  Nummis te posse hac scilicet arte putas.
Arida sic situla in puteum demittitur imum
  Praeceps, ut sursum plena trahatur aqua.

Ex. Panantio.

XXIX.

IN ARDELIONEM OMNIA PERPERAM FACIENTEM.

Nil tibi difficile est; te facturum omnia dicis;
  Nil facis interea, aut quod facis est nihilum.
Nam quodcumque facis, clausis more Andabatarum (*)
  Luminibus, nulla hoc est ratione facis.

(*) Erant gladiatores qui frontem oculosque tecti pugnabant. Lips. Saturn. l. 2. c. 12. Alii putant fuisse genus lusus, in quo ludentes oculis clausis se petebant invicem, quod Itali dicunt *fare alla cieca*.

XXX.

IN CONVIVATOREM MALA CARMINA RECITANTEM.

Accumbit quicumque tuis, Callistrate, mensis,
Caelesti non ille invidet ambrosiae:
Tam sapidis sunt plenae epulis, gula prorsus ut illis
Expleri quamvis ingeniosa queat.
Est quiddam mensae tamen inter dona secundae,
Concoquere haud ullus quod stomachus valeat.
Num quaeris quidnam sit? sunt ea carmina, nobis
Quae recitas laevis scripta Heliconiasin.
Carmina, pol! non haec; vomitoria pharmaca sed sunt:
Restitui quae das fercula visne tibi?

EPIGRAMMATA SEPULCRALIA

I.

TUMULUS CONJUGUM DISCORDIUM.

Conjugium discors jacet heic, Eris et Philonicus:
Mirum hoc rixentur ni quoque sub tumulo.
Ex Panantio.

II.

TUMULUS ALEXIDIS HELLUONIS.

Hunc sibi, qui ventri nimis indulgebat, Alexis
Effodit tumulum dentibus ipse suis.
Ex eodem.

III.

TUMULUS CHAERILI HOMINIS VENTOSI.

Chaerilus heic situs est, major post funera factus:
Nunc cinis est, olim nil nisi ventus erat.
Ex eodem.

I V.

TUMULUS RUSTICI ET NAUTAE.

Rusticus et Nauta hoc tumulo conduntur uterque
Plutonem et terra posse marique docet.
Platonis ex Anthol.

V.

TUMULUS VIATORIS A LATRONE OBRUTI.

Postquam interfecit me latro, exsangue solutis
Exsequiis corpus sub tumulo hoc posuit.
Sic illum interimat, sic illi rite parentet,
Erga sic latro sit pius alter eum.
Incerti ex Anthol.

V I.

TUMULUS EURINOMES FEMINAE LOQUACISSIMAE.

Hoc ea, qua vicinia tota loquente strepebat,
Condita sub tumulo est, heic tacet Eurinome:
Sed licet aeternum taceat, non tam illa tacebit.
Quam blaterans nostras contudit auriculas.
Ex Gallico Anonymi.

VII.

TUMULUS TUCCAE BIBACIS.

Tucca bibax jacet heic, immanem in fronte sepulcri
Heres insculpi jussit ubi calicem,
Quem si quis vino impleret, Tucca impiger ipso
Poturus, credo, surgeret e tumulo.

VIII.

TUMULUS BOLLANI SOMNICULOSI.

Heic leti somnus Bollanum ferreus urget,
Vrgebat vivum quem sopor assiduus.
Transiit e somno in somnum: quod vivus agebat
In lecto, hoc agit et mortuus in tumulo.

IX.

TUMULUS COTTAE MIMI LEPIDISSIMI.

In scena risus qui tam bene Cotta movebat,
Heu quot nunc ciet hoc sub tumulo lacrimas!

X.

TUMULUS FEMINAE JUVENIS ET PAUPERCULAE, QUAE SENI ET DIVITI NUPSERAT.

Diti homini et vetulo juvenis paupercula nupsi,
Difficilisque tuli taedia quanta viri!
Quaeque diu parilem vixissem nacta maritum,
Post paucos obii victa dolore dies.
Nunc vetus heic illud jaceo monitura puellas
Effatum: *si vis nubere nube pari.*

X I.

TUMULUS TIMONIS. VIATOR ET TIMON.

V. Desine jam, Timon, homines odisse sub Orco,
Odisti vivus nam satis atque super.
T. Quin odio mage nunc habeo, quam vivus habebam
Olim. V. cur? T. plures heic habitant homines.
Callimachi ex Anthol.

X I I.

TUMULUS NAUFRAGI.

Naufragus heic jaceo: timeas ne nauta: sub imis
Quum me tempestas horrida mersit aquis,
Verrebant aliae remis audacibus aequor,
Incolumes portum quae subiere rates.
Antipatri ex Anthol.

XIII.

TUMULUS S. IGNATII SOCIETATIS JESU CONDITORIS.

Si par esse viro possem qui conditus heic est,
Par essem Mundi quattuor urna plagis.
Quum gentem invenies vel in ipsis finibus Orbis,
Cui non ad Caelum straverit ille viam,
Cujus, post obitum suprêmaque fata, saluti
Per natos cesset consuluisse suos,
Tunc me mentiri, licet, assere, grandia tunc me
Plus aequo tanti tollere facta viri.

XIV.

TUMULUS LAURENTII LITTAE S. R. E. CARDINALIS.

Heic illud sacri decus immortale Senatus
Litta jacet, doctis flendus et ille bonis.
Patronum amisere suum nam Palladis artes,
Resque suum columen publica Christiadum.
Ne, tibi Relligio siquidem Doctrinaque cordi est,
Siccis hunc oculis praetereas tumulum.

EPITAPHIA POETICA.

Epigrammatis hisce sepulcralibus addidi pauca epitaphia poetica; metrica nempe nonnullorum ellogia, qui mecum vel amicitia vel consanguinitate conjuncti erant. Illud spectavi, ut eorum virtutum memoria diu apud posteros, quoad in me situm esset, exstaret non modo ad admirationem, sed etiam ad imitationem. Eorum plerique inscriptionibus a clarissimis viris exaratis honestati sunt, quae mihi sententiam suppeditarunt ad breve aliquod epigramma, quod illis adnecterem, conficiendum. Quorum nulla adhuc erat, aut nulla a me inventa est inscriptio, eam ego cum epigrammate adjecto confeci.

I.

ALOISIO . CAIETANI . F . LANZIO
DOMO . MONTE . VLMI . IN . AGRO . PICENO
DECVRIONI . EVGVBINO . SODALI . SOCIETATIS . IESV
PRAEFECTO . MVSEO . FLORENTINO . ILLVSTRANDO
COMI . SVAVISSIMOQ. VIRO
ET . CVM . SVMMA . IN . LITTERIS . AVCTORITATE
MODESTISSIMO
QVI . ETRVSCORVM . MONVMENTIS . INTERPRETATIS
ET . PICTVRAE . ITALICAE . HISTORIA
AB . INSTAVRATIONE . ARTIVM . OPTIMARVM . CONDITA
ALIISQVE . COMPLVRIBVS . EDITIS VOLVMINIBVS
CELEBRIORVM . SVI . TEMPORIS . ERVDITORVM . GLORIAM
INGENIO . ET . DOCTRINA . ADSECVTVS . EST
STILI . PERSPICVITATE . ET . ELEGANTIA . OMNIVM
IVDICIO . SVPERAVIT
SACERDOTI . CASTISSIMO
CVIVS . IN . DEVM . ET . CAELITES . PIETATEM
PRAECLARA . DE . REBVS . SACRIS VVLGATA . OPVSCVLA
POSTERITATI . COMMENDANT
OB . EX . APOPL. PRIDIE . K . APR . A. M. D. CCC. X.
AE . S. LXXVII. M. IX. D. XXII.
ONVPHRIVS . BONVS . EX . STIPE . AMICORVM
ET . HEREDIS . ET SVA . F. C.

Io. Bapt. Zannoni.

HVNC . PIETAS . HVNC . COMMENDAT . DOCTRINA . MAGISQVE
AN . FVERIT . DOCTVS . QVAM . PIVS . AMBIGITVR
SCRIPTA . PATENT . CVNCTIS . NVLLI . NEC . LECTA . PROBANTVR
QVI . DOCTVS . NVLLI . QVI . PIVS . ESSE . VELIT

II.

MEMORIAE
RAYMVNDI . CVNICHII
DOMO . RAGVSA
QVEM . SOCIETAS . IESV . ROMAE . ALVMNVM
A . PVERITIA . SVSCEPIT
PIETATIS . ET . INNOCENTIAE . LAVDE . FLORENTEM
ARTIBVSQVE . OPTIMIS . IMBVTVM
EDVXIT . AD . GLORIAM
VIXIT . ANN . LXXV. M . IX. D. XXIX.
RHETOR . IN . VRBE . FVIT . ANN . XXXXV.
QVO . MAGISTRO . CLARI . VIRI . GLORIANTVR
IDEM . NVLLI . POETARVM . LATINORVM
SVI . TEMPORIS . SECVNDVS . HABITVS . EST
DECESS . X . KAL . DEC . AN . M. DCC. LXXXXIIII.
BONORVM . OMNIVM . LACRIMIS . HONESTATVS
SODALES . VETERES
COLLEGAE . MITISSIMO . INTEGERRIMO
FAC . CVR.

Steph. Antonii Morcelli.

ILLE . HIC . CVNICHIVS . TIBI . QVI : DEDIT . ORE . MARONIS
IRAM . MAEONIDES . POSSE . LOQVI . AEACIDAE
TAM . BENE . VT . AEACIDAEQVE . IRAM . VIDEAR S . ET . IDEM
ERRORES . PHRYGII . TV . CECINISSE . DVCIS

III.

A ☧ Ω

MEMORIAE . ET . QVIETI
VINCENTII . BOLGENI
DOMO . BERGOMO
A . CONSILIIS . SVMM . MAGISTR . CRIMINIB . EXPIANDIS
PRAEFECTI . BIBLIOTHEC . LYCAEI . ROMANI
QVEM . SOCIETAS . IESV . AB . ADOLESCENTIA
INGENIO . FLORENTEM
AD . DISCIPLINARVM . MAIORVM . SCIENTIAM . INSTITVIT
VIX . ANNOS . LXXVIII. M. III. D. XII.
DOCTOR . THEOLOGVS
AETATIS . SVAE . PRAESTANTISSIMVS
AD . CVIVS . VIM . SCRIBENDI
HOSTES . ECCLESIAE . OBMVTVERE
DECESS . III. NON . MAIAS . ANN . M. DCCC. XI.
SODALES , VETERES
SENI . RELIGIOSISSIMO
ET . DIVINI . IVRIS . CVLTISSIMO
FAC . CVR.
HONORIS . PIETATISQVE . CAVSA

Steph. Antonii Morcelli.

TE . NVMQVAM . DIVINA . NEGAT . QVI . DOGMATA . LEIGT
SI . LEGIT . CREDIT . MENTE . QVOD . ORE . NEGAT

IV.

QVIETI . ET . MEMORIAE
IOSEPHI . MAROTTI . V. C.
DOMO . COSIS
MAGNA . LATINAE . ET . GRAECAE . ERVDITIONIS
MAIORE . INTEGRITATIS . CONSTANTIAE . RELIGIONIS
LAVDE . FLORENTIS
QVEM . PIVS . VI. P. M. AERVMNARVM . SOCIVM
VOLENTEM . DELEGIT
HABVITQVE . VIRTVTE . CARISSIMVM
PIVS . VII. OB. MERITA . AB . EPISTVLIS . AD PRINCIPES
ADIVTOREM . ADSCIVIT
PROBATVMQVE . AMORE . DIGNATVS . EST
HVIC . INOPINA . BREVIS . MORBI . VIS
FINEM . HONORVM . ATTVLIT
IIII. NON . FEBR . AN . M. DCCC. IIII.
QVVM . VIXISSET. ANN. LXIIII. M. VII. D. XXIIII.
VTILIS . MVLTIS . NVLLI . GRAVIS
SODALES . VETERES . E . SOC. IES . COLLEGAE . SVAVISSIMO
PACEM . CAELESTEM . ADPRECANTES
CVM . LACRIMIS . POSVERVNT

Steph . Antonii Morcelli .

AERVMNAS . OLIM . SEXTVM . COMITATVS . ES . INTER
NVNC . SEQVERIS . CAELI . LAETVS . IN . ARCE . PIVM
SEPTIMVS . AD . MAGNOS HEIC . TE . PROVEXIT . HONORES
SERO . ISTAC . DEVS . HVNC . DET . TIBI . POSSE . SEQVI

V.

REQVIETI . ET . MEMORIAE
MAVRI . BONI . E . SOCIETATE . IESV . ITERVM
DOMO . CREMONA
VIRI . ERVDITIONE . ET . SCRIPTIS . FAMAM . EMENSI
QVI . SODALES . SVOS . INSIGNI . BIBLIOTHECA . TRANSMISSA
EGREGIE . DOTAVIT
VIXIT . ANNOS . LXX. M. II. D. I.
DIV . APVD . VENETOS . CVM . LAVDE . VERSATVS
VBIQVE . INNOCENTIA . ET . PIETATE . ACCEPTVS
DECESS. PRID . NON . IANVAR . AN . M. DCCC. XVII.
MORTE . SIBI . A . DEO . PRAEOPTATA
VT . VITAM . SOCIO . PERICLITANTI . PROROGARET
AMICI . VETERES . BENE . MERENTI . POSVERE
QVI . NOMINIS . MENSVRAM . EXPLEVIT

Steph. Antonii Morcelli .

AEGRVM . DVM . PETERET . SOCIVM . MORS . INIICE . SAEVAS
DIXI . IN . ME . POTIVS . MORS . PRECOR . ATRA . MANVS
DVM . VOTI . COMPOS . FIEREM . QVAM . VIVERE . DVLCE . EST
PRO . SOCIIS . SENSI . QVAM . MAGE . DVLCE . MORI

VI.

IOANNI . ANDRAE . E . SOC . IESV . ITERVM
DOMO . PLANE . VALENTINORVM
CLARISSIMO . GENERE . AB . AVIS . ET . MAIORIBVS
QVEM . INGENII . LAVDE . LITTERARVM . FAMA
EDITORVM . OPERVM . COPIA . MAGNVM
RELIGIO . PIETAS . HVMANITAS
PERPETVO . BONORVM . CONSENSV . MAIOREM . PRAESTITERE
ITALIA . IDEM
FINITIMISQVE . PROVINCIIS . PERAGRATIS
VBIQVE . IN . HONORE . HABITVS
QVVM . REGIAE . BIBLIOTHECAE . APVD . NEAPOLIT .
PRAEFECTVRAM . IN . ANN . M DCCC . XVI . OBTINVISSET
ROMAE . LIBENS . APVD . SOCIOS . DECESSIT
INVICTO . ANIMO . EXITVQVE . VITAE . CONSENTANEO
PRIDIE . IDVS . IAN . AN . M . DCCC XVII .
ANNOS . NATVS LXXVI . M . X . D . XXVII .
SVMMORVM . VIRORVM OBSEQVIA . VIRTVTE . MERITVS
HVIC . SODALES VETERES
SIMVLACRVM . AMORIS . STVDIIQVE . SVI
CAVSSA . DEDICAVERE

Steph. Antonii Morcelli

QVOD . TIBI . VITALES . HISPANIA . TRADIDIT . AVRAS
QVOD . FAVIT . STVDIIS . AVSONIS . ORA . TVIS
LOIOLIDVM . QVOD . TE . POST . MVTVA . FATA . RECEPIT
COETVS . ET . EMERITVM . MISIT . AD . ASTRA . SENEM
TE . LAVDANT . IACTANTQVE . SVVM . HOC . EST . NEMPE . VIRORVM
MAGNORVM . VT . NEMO . NON . VELIT . ESSE . SVOS

VII.

MONVMENTVM
STEPH . ANTONII . MORCELLI
E . SOC . IESV . ITERVM
PRAEPOSITI . ECCLESIAE . N . PER . AN . XXX.
SODALIS . BENEFICIARII . INSTITVTI . ITALICI
OB . LATINAS . LITTERAS
ET . STVDIA . RERVM . ANTIQVARVM
VOLVMINIBVS . OPEROSIS . INLVSTRATA
PER . ORBEM . CLARISSIMI
QVI . PATRIAE . CARITATE . INCENSVS
OPES . IN . COMMVNE . BONVM
EFFVDIT
CVLTOR . PIETATIS . ADSERTOR . RELIGIONIS
DIVTVRNVM . MORBVM . FORTITER . PERPESSVS
SANCTE . EMIGRAVIT . KAL . IAN . AN. M DCCC XXII.
QVVM . VIXISSET . AN . LXXXIII. M. XI. D. XV.
CLARENSES . VNIVERSI . F. C.
MVNICIPI . MERENTISSIMO
ORNAMENTO . AETATIS . SVAE

Michaelis Ferruzzi

SCRIBENDI . TITVLOS . QVI . TAM . BENE . DIGERIS . ARTEM
QVIS . TITVLVS . MERITO . PAR . QVEAT . ESSE TVO

VIII.

☧ ☧

CINERIBVS . ET . MEMORIAE
VINCENTI . FVGAE . ROMANI
VIRI . LATINAE . ET . VERNACVLAE . POESEOS . PERITISSIMI
QVI . SOCIETATIS . IESV
QVOADVSQVE . EA . MANSIT . SODALIS
MORVM . INTEGRITATE
ET . STVDIIS . LITTERARVM . AMOENIORVM . FLORVIT
IDEM . POST . SOCIETATIS . CLADEM
CELEBERRIMVM . ARCADVM . COETVM
AD . MAIOREM . FAMAM . EVEXIT
DIV . GENERALIS . CVSTODIS . VICE
MAGNA . CVM . INGENII . ET . DOCTRINAE . LAVDE . FVNGENS
PIVS . VIX . AN . LXXVIII . M. V. D. XVII.
PRISTINAE . VITAE . RATIONIS
QVAM . ADOLESCENS . INIVERAT
QVOAD . DISSOLVTA . SOCIETATE . POTERAT
RETINENTISSIMVS
DECESS . ROMAE . XIII . KAL . IVL . AN. M. DCCC. XV.
IOSEPHVS. PETRVCCIVS . E . SOC . IES . ITERVM
SATIS . NON . HABENS
DATA . SIBI . DONO . A . VETERE . SODALI
ET . AMICO . B . M.
CARMINA . TYPIS . VVLGARE
TITVLVM . ETIAM . F. C.
GRATI . ANIMI . CAVSSA.

QVAE . MIHI . ΜΝΗΜΟΣΥΝΟΝ . VETERIS . MORIBVNDVS . AMORIS
LIQVISTI . FAMAE . CARMINA . REDDO . TVAE
INTEREA . HVNC . A . ME . PEREAT . NE . GRATIA . FACTI
GRATI . ANIMI . TITVLVM . TV . TIBI . PIGNVS . HABE

I X

☧ BERNARDO . ZAMAGNAE . DOMO . RAGVSA ☧

VETERE . ET . INLVSTRI . GENERE

QVEM . SOCIETAS . IESV

MAGNAE . SPEI . ADOLESCENTEM

LIBENTISSIME . SVSCEPTVM

EDVXIT . AD . GLORIAM . ARTIVM . OPTIMARVM

PIVS . VIXIT . ANN . P. M. LXXXV.

LATINAE . ET . GRAECAE . LINGVAE . PERITIA

NVLLI . SVI . TEMPORIS . SECVNDVS

HOMERI . ODYSSEAE

HESIODI . THEOCRITI . BIONIS . ET . MOSCHI

METRICIS . INTERPRETATIONIBVS

ALIORVMQVE . CARMINVM . EDITORVM . COPIA . ET . ELEGANTIA

CLARISSIMVS

QVO . FLORENTE . AETATE . RHETORE . DOCTISSIMO

SENA . ET . MEDIOLANVM

SOCIO . ERVDITISSIMO

CELEBERRIMA . SAPIENTVM . VIRORVM . COLLEGIA . GLORIANTVR

IDEM . POST . SVVM . IN PATRIAM . REDITVM

GRAVISSIMIS. MVNERIBVS . E . REPVBLICA . FVNCTVS

ET . LATINIS . CARMINIBVS

AD . EXTREMAM . VSQVE . SENECTVTEM

EXCOLENDIS . PVBLICANDISQVE

CIVIVM . SVORVM . VTILITATI . GNAVITER CONSVLVIT

GLORIAM . IMPIGRE . ADAVXIT.

DECESS . IV. NON . APR . AN . M. DCCC. XX.

IOSEPHVS . PETRVCCIVS . E . SOCIETATE . IESV

SODALI . VETERI . ET . AMICO

B. M. F. C.

SMYRNAEVM . ASCRAEVMQVE . SYRACOSIVMQVE . POETAS

QVVM . SCITE . E . GRAECIS . VERTERIT . IN . LATIOS

POST . OBITVM . MERITO SVPREMAQVE . FATA . ZAMAGNAE

TEMPORE . TAM . LONGO . MVSA . SVPERSTES . ERIT

QVAM . LONGO . ASCRAEI . ET . SMYRNAEI . TEMPORE . VATIS

QVAM . LONGO . VIVET . MVSA . SYRACOSII

X.

☧

IOACHIMO . DOMINICI . F. PETRVCCIO
DOMO . INTERAMNA . NAHARTIVM
VIRO . PATRICIO
QVI
QVVM . PIETATE . IN . DEVM . AMORE . IN . PATRIAM
CARITATE . IN . SVOS . BENIGNITATE . IN . EGENOS
OMNIVM . SIBI . LAVDEM .
ET . BENEVOLENTIAM . PROMERVISSET
QVVMQ . OMNIBVS . MVNERIBVS . PVBLICIS
NAVITER . ET . INTEGRE . FVNCTVS . ESSET
AGENS . ANNVM . LXVIII.
OBIIT . IIII . ID . MAIAS . AN . M . DCCC . XXI.
THERESIA . BONAFACCIA . ET . DOMINICVS . PETRVCCIVS
MARITO . INCOMPARABILI . CONCORDISSIMO
PATRI . OPTIMO . BENEMERENTISSIMO
QVI . LEGIS . NE . GRAVERIS . DICERE
IOACHIME . TE . IN . PACE
NON . EGO . TE . SEQVAR . IMMORTAL . IN . SEDE . RECEPTVM
CVM . LACRIMIS . CONIVNX . OPTIME . SED . PRECIBVS
OH . VTINAM . QVI . NOS . PERITVRO . HEIC . IVNXERAT . OLIM
ISTIC . PERPETVO . FOEDERE . IVNGAT . AMOR.

I X

☧ BERNARDO . ZAMAGNAE . DOMO . RAGVSA ☧

VETERE . ET . INLVSTRI . GENERE

QVEM . SOCIETAS . IESV

MAGNAE . SPEI . ADOLESCENTEM

LIBENTISSIME . SVSCEPTVM

EDVXIT . AD . GLORIAM . ARTIVM . OPTIMARVM

PIVS . VIXIT . ANN . P. M. LXXXV.

LATINAE . ET . GRAECAE . LINGVAE . PERITIA

NVLLI . SVI . TEMPORIS . SECVNDVS

HOMERI . ODYSSEAE

HESIODI . THEOCRITI . BIONIS . ET . MOSCHI

METRICIS . INTERPRETATIONIBVS

ALIORVMQVE . CARMINVM . EDITORVM . COPIA . ET . ELEGANTIA

CLARISSIMVS

QVO . FLORENTE . AETATE . RHETORE . DOCTISSIMO

SENA . ET . MEDIOLANVM

SOCIO . ERVDITISSIMO

CELEBERRIMA . SAPIENTVM . VIRORVM . COLLEGIA . GLORIANTVR

IDEM . POST . SVVM . IN PATRIAM . REDITVM

GRAVISSIMIS. MVNERIBVS . E . REPVBLICA . FVNCTVS

ET . LATINIS . CARMINIBVS

AD . EXTREMAM . VSQVE . SENECTVTEM

EXCOLENDIS . PVBLICANDISQVE

CIVIVM . SVORVM . VTILITATI . GNAVITER CONSVLVIT

GLORIAM . IMPIGRE . ADAVXIT.

DECESS . IV. NON . APR . AN . M. DCCC. XX.

IOSEPHVS . PETRVCCIVS . E . SOCIETATE . IESV

SODALI . VETERI . ET . AMICO

B. M. F. C.

SMYRNAEVM . ASCRAEVMQVE . SYRACOSIVMQVE . POETAS

QVVM . SCITE . E . GRAECIS . VERTERIT . IN . LATIOS

POST . OBITVM . MERITO SVPREMAQVE . FATA . ZAMAGNAE

TEMPORE . TAM . LONGO . MVSA . SVPERSTES . ERIT

QVAM . LONGO . ASCRAEI . ET . SMYRNAEI . TEMPORE . VATIS

QVAM . LONGO . VIVET . MVSA . SYRACOSII

X.

☧

IOACHIMO . DOMINICI . F. PETRVCCIO
DOMO . INTERAMNA . NAHARTIVM
VIRO . PATRICIO
QVI
QVVM . PIETATE . IN . DEVM . AMORE . IN . PATRIAM
CARITATE . IN . SVOS . BENIGNITATE . IN . EGENOS
OMNIVM . SIBI . LAVDEM .
ET . BENEVOLENTIAM . PROMERVISSET
QVVMQ . OMNIBVS . MVNERIBVS . PVBLICIS
NAVITER . ET . INTEGRE . FVNCTVS . ESSET
AGENS . ANNVM . LXVIII.
OBIIT . IIII . ID . MAIAS . AN . M. DCCC . XXI.
THERESIA . BONAFACCIA . ET . DOMINICVS . PETRVCCIVS
MARITO . INCOMPARABILI . CONCORDISSIMO
PATRI . OPTIMO . BENEMERENTISSIMO
QVI . LEGIS . NE . GRAVERIS . DICERE
IOACHIME . TE . IN . PACE
NON . EGO . TE . SEQVAR . IMMORTALI . IN . SEDE . RECEPTVM
CVM . LACRIMIS . CONIVNX . OPTIME . SED . PRECIBVS
OH . VTINAM . QVI . NOS . PERITVRO . HIC . IVNXERAT . OLIM
ISTIC. PERPETVO . FOEDERE . IVNGAT . AMOR.

X I.

A ☧ Ω

MARIANO . ALOISIO . DOM . F. PETRVCCIO
QVI . NATVS . INTERAMNAE . NAHARTIVM
PATRICIA . NOBILITATE
QVVM . SOCIETATI . IESV . PERICLITANTI
PRAECLARAE . SPEI . ADOLESCENS . NOMEN . DEDISSET
RESTITVTAE . SENEX . GRAVISSIMVS . DOCTOR . THEOLOGVS
ET . DIVINORVM . LIBRORVM . IN . TEMPLO
PATRIAE . MAXIMO
PER . PLVRES . ANNOS . INTERPRES . EGREGIVS
ITERVM . DEDIT
VIXIT . ANNOS . LXXI. M. VII. D. XX . II.
MORVM . SVAVITATE . DOCTRINA . ELOQVENTIA . CLARVS
INVICTA . IN MOLESTIIS . RELIGIONIS . CAVSSA
PERFERENDIS . PATIENTIA . CLARIOR
SVPREMA . SOCIETATIS . PRAEPOSITVRA
VICARIA . POTESTATE
SANCTE . ET . IN . EXEMPLVM . FVNCTVS
DIEM . SVVM . OBIVIT . IN . VRBE
MAGNO . SODALIVM . MOERORE
XIII. KAL. DECEMBR. AN. M. DCCC. XX.
SCHOLASTICI . SOC. IESV
QVOS . AD . OMNEM . VIRTVTEM
EX . VETERIS . INSTITVTI . PRAESCRIPTIS
IN . TIROCINIO . GENVATE . SEDVLO . INFORMAVERAT
GRATI . ANIMI . CAVSSA . FAC. CVR.
CVM . LACRIMIS
HAVE . SENEX . PIENTISSIME
ET . VALE . IN . PACE

PRAECIPITI . IN . NAREM . QVA . DECIDIT . AMNE . VELINVS
HVNC . VRBS . ILLVSTRI . PROTVLIT . VMBRA . LOCO
LOIOLIDVM . NOMEN . DEDIT . HAVD . IGNOBILE . CASTRIS
DOCTISQVE . ET . SANCTIS . ARTIBVS . INGENIVM
PALLAS . EVM . DOCTAS . SANCTAS . QVAM PECTORE . TOTO
A . TENERIS . ARSIT . DIA . PARENS . DOCVIT
TRISTIA . LOIOLIDVM . IN . PATRIAM . POST . FATA REVERSVS
EXEMPLO . PATRIAM . IVVIT . ET . ELOQVIO
DONEC . PROPOSITI . CONSTANS . ET . SACRA . FACESSENS
IVSSA . PII . PATRIAE . PRAETVLIT . EXSILIVM
AD . PRISCA . HINC . SOCIIS . REVOCATIS . MVNERA . PRIMOS
ACCVRRIT . PRIMOS . INTER . ET . ENITVIT
QVEM . SANCTE . SVMMI . FVNCTVM . VICE . PRAESVLIS . ACTAM
POST . VITAM . INNOCVIS . MORIBVS . EGREGIAM
ILLA . EADEM . AD . SE . QVAM . DILEXERAT . VSQVE . VOCAVIT
MERCEDEM . MERITIS . VIRGO . DATVRA . PAREM (*)

(*) Inscriptionem huic epitaphio praepositam, licet alia longe uberior et luculentior a C. V. Silvestro Bargagnatio concinnata et typis edita exstaret, ut superius adnotavi in Epistola VII. pag. 55., egomet exarare volui, ut in Fratrem mei amantissimum mihique carissimum ne hoc quidem, quale id cumque sit, memoriae et benevolentiae meae pignus desideraretur.

XII

☧ H. S. E. ☧

PETRVS . IOACHIMI . F . PETRVCCIVS

NATVS . INTERAMNAE . IN . VMBRIA . LOCO . NOBILI

SOCIETATIS . IESV

IN . QVAM . ADOLESCENS . ADLECTVS . FVIT

DESIDERIVM

PATRVI . IOSEPHI . PETRVCCI .

EIVSDEM . SOCIETATIS . SODALIS

DOLOR . ET . LVCTVS

VIX . ANNOS . XXII. M. IIII. D. XXVIIII.

COMIS . MORIGERVS . RELIGIOSVS

QVI

DVM . OB . INGENIVM . ALACRE

ET . APTVM . AD . ARTES . OPTIMAS

MAGNAM . DE . SE . SPEM . EXCITARET

RAPTVS . EST . IN . PATRIA

VIIII. KAL. NOVEMBR. AN. M. DCCC. XVIII.

SODALIS . COLLEGI . INTERAMNEN . SOC. IESV

MOERENTES . POSVERE

INSONTI . LACRIMAS . IVVENI . DAT . PATRVVS . HOSPES

CANDIDA . TV . PLENA . LILIA . FVNDE . MANV

CAPUT SEXTUM

EPIGRAMMATA VARIA.

I.

AD LYDAM ETSI FERAM HOMINES TAMEN AD SE TRAHENTEM.

Ad sese traxisse feras Oëagrius olim
Orpheus et cantu dicitur et cithara.
Mirum hominem traxisse feras; ast hoc mage, quod tu
Quum fera sis ad te, Lyda, trahas homines.
Ex Panantio.

II.

POETA SUA CARMINA PHYLLIDI OFFERT.

Non flores, mea Phylli, tibi, ceu vulgus amantum,
Mitto, quos tellus vere ineunte parit.
Nos alios in Pieridum tibi legimus hortis
Flores: offerimus carmina nostra tibi.
Illis vita brevis, brevis illis est decor: ast his
Floribus aeternus stat sine morte decor.

III.

POESIS ANIMI TRANQUILLITATI CONDUCIT.

Musa mihi faveat, faveat mihi dexter Apollo,
Nec neget Aonio proluere ora lacu.
Hoc mihi contingat; timeam nec tristitiam, nec
Non tradam rabido ferre metum Boreae,
Securus quocumque levis Fortuna vagetur,
Irrequieta vices et ferat et referat.
Ex Hor. Od. 26. l. 1.

IV.

DE TULLIO ET DEMOSTHENE.

Eloquium Tullî quisquis Demosthenis aequat
  Eloquio, ille aequat flumina fulminibus.

V.

IN POETARUM CONVIVIIS NON ESSE OPUS MAGNO APPARATU.

Odi Persarum convivia structa paratu,
  Nec philyra florum serta revincta placent.
Desine sectari quonam rosa sera locorum
  Nascitur, et myrto nil super adde, puer.
Scilicet et puerum vatis, vatemque sub arctis
  Potantem myrtus vitibus una decet.

Ex Hor. od. 32. l. 1.

VI.

DELIAE LAUS.

Quum nos facta virûm, assentatrix turba, poetae
  In caelum altisonis laudibus efferimus,
Audin', vulgus ait, vatum mendacia, quae rem
  Vel totam immutant, vel nimis amplificant?
Ast te, virtutesque tuas quum, Delia, laudo,
  Vulgus ait, merito est laus minor ista tuo.

VII.

DE DUABUS SORORIBUS PULCHERRIMIS.

Dixeris has Charites, binis unam adde, sorores;
  Vnam deme, Venus, quae superabit, erit.

Ex Gallico de la Fargue.

VIII.

AD NIGELLAM TRIUM PUELLARUM ET NULLIUS PUERI MATREM.

Si puerum antea quam parias enixa puellas
Es ternas, noli, pulcra Nigella, queri.
Ipsa etiam antea quam puerum peperisset Amorem
Enixa est ternas pulcra Venus Charites.
Ex Gallico Anonymi.

IX.

DE GALLA LICET PULCRA AB AMORE TAMEN ALIENA.

Qui te, Galla, videt, Venerem te credit, at errat;
Namque puer nusquam te comitatur Amor.
Ex Gallico Anonymi.

X

DE GELLIA IN FLUMINE SUBMERSA.

Cum ripa simul avulsam, dum Gellia flores
Pulcra legit, secum fluminis unda rapit.
Prima Venus mediis ut vitam accepit in undis,
Altera sic undis perdidit in mediis.
Ex Gallico Cheuvreau.

XI.

Ερωτικον

Fabula sit quamvis, nemo tamen haud mihi dicit,
Esse meis victam Phyllida lacrimulis.
Ah quid adhuc cessas? cur haec tibi fabula nondum,
O amor, in veram vertitur historiam?
Ex Gallico Bichalet.

X I I.

AD ARISBAM χειρομαντικήν.

O quae lineolas manuum scrutaris, et hinc
quae
Sors bona vel mala sit cuique futura doces,
Ne meam, Arisba, manum scruteris; namque
tuis sors
Quae me cumque manet stat posita in mani-
bus.

Ex Panantio.

X I I I.

DE LIBRO CONFESSIONUM S. AUGUSTINI.

Augustine, librum, tua quo male facta fateris,
Quos scripsti libris omnibus antefero.
Cuncta ferunt alii prae se, quae prisca Sopho-
rum
Scrutari potuit natio, quaeque recens.
Hic virtutem illam prae se fert, prisca sopho-
rum
Quam nulla amplexa est natio, nulla recens.

X I V.

DE LYCORIDE FEMINA PULCHERRIMA, QUAE PERSONATA VENEREM AGIT.

Par Veneri, incedis quum personata, Lycori,
Es, si personam detrahis, ipsa Venus.

Ex Gallico Anonymi.

X V.

MIRARE HOMINEM UNIUS LIBRI, ET UNIUS ARTIS.

Omnigenas qui cursim artes vis discere, libros
Et legere omnigenos, Postume, nil sapies.
Ille mihi sapiet, qui unam quum legerit artem
Discendam, se toto adjicit illi animo;
Sic illum licet insipiens vulgus stupet, unum
Assidue librum qui legit et relegit.

X V I.

IN ANTONIUM CAESARIS CAPITI DIADEMA IMPONENTEM.

Tamquam hostis patriae libertatisque latinae
Confessus multo vulnere Caesar obit.
Iure obit ille quidem, quamvis rejecerit a se
Quod capiti, Antonî, das diadema suo.
Indignum jam quid mage, quam te vivere, qui das,
Illum, rejecit qui diadema, mori? (*)

(*) Quid indignius quam vivere eum, qui imposuerit diadema, quum omnes fateantur jure interfectum esse qui abjecerit. Cic. Phil. 2. c. 34.

XVII.

INVITATIO AD COENAM RUSTICAM.

Saepe sine aulaeis, Luci, pictisque tapetis
Divitibus parvo sub lare coena placet.
Linque igitur lauto convivia structa paratu,
Explere ingluviem quam magis apta famem:
Hic epulas comedens, quas grex aut hortus inemptas
Praebebit, gratas experiere vices.
Quin et quam frustra expellis, natura recurret,
Et sensus, quem animis indidit illa hominum.
Hic nosces, Lucî, expertusque fatebere, quam sit
Luxu urbis potior rustica simplicitas.

XVIII.

IN CORNELIUM POETAM GALLUM CELEBERRIMUM, QUI LUCANI PHARSALIAM VIRGILII AENEADI ANTEFEREBAT.

Quamvis, Cornelî, vates celeberrimus audis,
Teque suo fovit Melpomene ipsa sinu;
Pharsaliam tamen in trutina et quum Aeneida ponis,
Pharsaliae Aeneis cedere visa tibi.
Iam quis tot prodire aliquem de vatibus unum,
Quem summis vere vatibus adnumeres,
Posse neget citius, quam qui veraxque sagaxque
De summis judex vatibus esse queat?

X I X.

INSCRIBENDUM DOMUI PAUPERIS.

Ite alio, fures; nihil hinc auferre licebit:
Namque has Paupertas excubat ante fores,
Ex Ang. Polit.

X X.

VIATOR ET TURTUR.

V. Quid gemis e celsa hac, turtur miserabilis ulmo?
T. Venator caram mi sociam enecuit.
V. Errat adhuc, cave sis, vicinos ille per agros.
T. Si non ille, meus me dolor interimet.
Ex Gallico.

X X I.

DE MAGNO MEDICO EXIMIO.

Quum sedes Erebi descendit Magnus ad imas,
Arte adeo praestans ille Machaonia,
Plutonem rauca perhibent sic voce loquutum:
Ne vitam timeo manibus iste ferat.
Lucilii ex Anthol.

X X I I.

IDEM BREVIUS.

Dis ait, ut medicus descendit Magnus in Orcum,
Manibus ah vitam ne ferat hic vereor!

EPIGRAMMATA SACRA

I.

ABSCISSUM S. JOAN. BAPTISTAE CAPUT
HERODI AFFERTUR IN LANCE.

Quod tua vult pellex, hujus quod filia saltans,
Ecce tibi affertur, saeve Tyranne, caput.
Cur trepidas? teneo: avulsum licet atque cruentum
Clamat adhuc, sordes insequiturque tuas
Ex S. Ambrosio.

II.

ALIUD.

Ecce tibi affertur caput inter fercula vatis
Luxum exprobrantis, saeve Tyranne, tuum.
Tolle dapes, puer, hinc et pocula; nam feritas hac,
Non sitis in mensa, non satianda fames.
Ex eodem.

III.

DE CHRISTI IN CRUCE PENDENTIS SITI.

Ah sitio! exclamat pendens cruce Christus ab alta:
Quid faciam? nulla ex hoc scatet unda jugo:
Quaeram alibi .... ah demens! non undam ex monte, scatentes
Ex oculis lacrimas sed sitit ille meas.
Ex Math. Casimiro Sarbievio S.I.

I V.

IN CHRISTUM REDIVIVUM. MORS ET VITA.

Quum Christus vitae e tumulo surrexit ad auras,
 Mors Vitae: nostrum cur tibi jus tribuis?
Illa autem: ob primi scelus exitiale parentis
 Tu prior intuleras in mea regna pedem:
Nunc quoniam tute antiquum scelus ipsa piasti,
 Ipsa ultro reddis quod mihi sustuleras.

V.

B. MARIA VIRGO COGNATAM ELISABETHAM INVISIT.

Miratur natura, anus infecunda quod alvo
 In tumida insolitae pondera fert sobolis.
Sed mage miratur, thalami quod nescia Virgo
 Fert casto aetheriam progeniem in gremio.
Ite agedum, agnatae conjungite gaudia matres,
 Pendentes sermone altera ab alterius.
Caelestem tu progeniem gratare puellae,
 Humano per quam parta salus generi:
Tuque anui sobolem, hanc sentit quae prima salutem,
 Inque ipso gestit subsiliens utero.

VI.

V. IOANNES BERCHMANS S. J. ACCURATISSIMUS S. ALOISII IMITATOR.

Quem sancte coluit Gonzaga, atque omnibus unum
Virgineum florem floribus antetulit,
Parthenidi moriens quum traderet, hunc tibi, dixit,
Intactum, ut dederas, Partheni, restituo:
Nec sine languescat; juveni sed porrige, qui te
Toto amet, et toto quem redames animo.
Berchmanti illa dedit, quo non magis alter amabat
Parthenidem, haud illi carior alter erat.

VII.

IN S. ANNAM VIRGINIS DEI GENITRICIS PARENTEM.

Dixerit e sterili qui te genuisse puellam,
Anna, sinu, de te dixerit ille parum:
At si quis matrem te dixerit esse Parentis
Virginis, is majus dicere nil poterit.

VIII.

IN DIE ANNIVERSARIA DEDICATIONIS S. MARIAE AD NIVES.

Terga Cleonaei media quum aestate leonis
Sol adit, Exquilias nix inopina tegit.
Nempe tibi hoc inibi, Virgo purissima, signo
Ipsa jubes templum condere Romulidas.
Quam bene conveniunt tua cum nive templa! ubi candor
Fulget, ibi sedes commoda, Virgo, tibi.
Sedem etiam, o juvenes, in vobis poneret, essent
Si vobis instar candida corda nivis.

IX.

SUB IMAGINE S. MARIAE MAGDALENAE JESU PEDES LACRIMIS RIGANTIS, ET CAPILLIS CAPITIS SUI TERGENTIS.

His oculis quondam male cautos cepit amantes
Magdalis, his quondam crinibus implicuit.
Nunc hos atque illos meliores vertit in usus,
Anxia dum Christi procidit ante pedes,
Quos lavat ex oculis lacrimarum flumina fundens,
Passisque abstergit crinibus uvidulos.
Crinibus atque oculis sic quas suscepit, easdem
Delevit maculas crinibus atque oculis.

X

AD B. MARIAM VIRGINEM.

Vt quercum hanc validi certant convellere venti,
Illa autem nullo turbine victa cadit;
Vsque flagrans noster sic in te, Virgo, manebit,
Vlla nec victus vi tepefiet amor.

X I.

V. JOANNES BERCHMANS S. J. ABSOLUTISSIMUM SS. ALOISII ET STANISLAI EXEMPLUM.

Non unus Lojolaeos fuit inter ephebos
  Loisides puris moribus egregius.
Divinae flagrans non unus amore Parentis
  In caelum arcessi Kostkiades meruit,
Qua quondam super astra die vecta illa vetustam
  Instaurat pompam et gaudia Caelicolum.
Haec adolescenti post vitam pariter actam
  Sors Berchmanti eadem contigit ex merito.
Iure igitur spectes si vitam dixeris illum
  Loisidem, si fata ultima Kostkiadem. (*)

X I I.

ASPHALION B. MARIAE VIRGINI SERTUM LILIORUM.

Crescere quae nuper redolenti vidit in horto
  Asphalion foliis lilia puberibus,
Haec tibi decerpsit, sertumque ex hisce paravit,
  Staret ut ante tuos, o bona virgo, pedes.
Lilia pro quo illi haec (si fas est tanta precari)
  Des candore animi vincere posse sui.

(*) V. Joannes Berchmans S. J. Scholasticus S. Aloisii morum innocentiam, et S. Stanislai pietatem in Deiparam quoadusque vixit egregie imitatus, anno aetatis suae XXII. Romae obiit in Collegio Romano, Idibus Aug. biduo ante quam S. Stanislaus.

XIII.

B. MARIAE VIRGINI FLORES.

Vt nobis flores des de caelestibus hortis,
Hos de terrenis nos tibi, Virgo, damus.

XIV.

ALIUD.

Nos tibi quas terrestre parit ver, suffice nobis
Quas caeleste parit tu, bona Virgo, rosas.

XV.

AD S. IGNATIUM S. J. CONDITOREM.

Dux praeclarus eras Ignati; et inania postquam
Liquisti humanae munera militiae,
Pergebas dux esse tamen meliora sequutus
Castra, et divinae munera militiae.
Nunc victor caelo frueris, bene scilicet actae
Digna illic referens praemia militiae.
Illinc bella eadem post te facientibus adsis,
Adspiraque tuis, dux bone, militibus;
Hostibus edomitis ut et ipsi fortiter actae
Tecum eadem referant praemia militiae.

XVI.

DE B. MARIAE VIRGINIS CORPORE IN CAELUM SUBLATO.

Bisseni Christi comites dum Virginis urnam
Clausuram sanctae frigida membra parant,
Laeta manus juvenum aligerûm superadstitit; atque hinc
Vrna, ait, hinc tristes sint procul exsequiae.
Quod vitae auctorem genuit non corpus humandum, at
Cum nati addendum corpore sideribus.
Dein corpus tollens redivivum ad sidera, clamat,
Hic tibi pro tumulo, Virgo, triumphus erit.

XVII.

AD B. MARIAM VIRGINEM.

Avertis quoties a me tua lumina, Virgo,
Me premit in media nox tenebrosa die.
Convertis quoties in me tua lumina, Virgo,
In media fulget tunc mihi nocte dies.

XVIII.

QUIBUS FLORIBUS ORNANDA SIT B. MARIAE VIRGINIS ARA MAJO INEUNTE.

Majus adest: properate novo de flore coronam:
Floribus ornanda est Virginis ara novis.
Non tamen hos, pueri, non hos decerpite flores,
Quos parit Arctoo terra soluta gelu.
Quamquam etenim hos etiam vultu bona Virgo sereno
Aspiciat (quid enim despicere illa solet?)
Illa tamen flores animi magis optat habendos,
Quos purus puro in pectore gignit Amor.

XIX.

CORVI ET LEONIS IN S. PAULUM PRIMUM EREMITAM OBSEQUIUM.

Quum tua dimidio pascit jejunia panis,
Sancte senex, corvus desinit esse rapax.
Quum tibi longaeva consumpto aetate sepulcrum
Effodit ungue, leo desinit esse ferox.
Orpheo tu major: te namque immitia corda
Et vivo ponunt et moriente ferae.

Ex Petro Iusto Sautel S.I.

X X.

S. FRANCISCUS XAVERIUS JACTAM IN PROCELLOSUM MARE CRUCEM A CANCRO RECIPIT.

Quam sibi Xaverides comitemque ducemque ferebat,
Vt mare placaret jecit in alta crucem.
Vt fluctus posuere, illam inter brachia cancer
Sustollens domini pertulit ante pedes.
I nunc, i felix cancer; nam sidera dignum
Te mage, quam cancer sit vetus ille, manent.

Ex eodem.

X X I.

IN DIE LVSTRATIONIS B. MARIAE VIRGINIS.

Quae sibi debetur laudem occulit, atque videri
Vult hominis mater Numinis illa Parens.
Quamvis virgo subit non debita probra; videri
Et vult impuris matribus adsimilis.
I nunc, immeritas aude et tibi quaerere laudes,
Probraque, debentur quae tibi, respuere!

X X I I.

DE IMMACVLATO B. MARIAE VIRGINIS CONCEPTU.

Abluit humanas quo Christus sanguine sordes;
Iessaeae sanguis Virginis ille fuit.
Ergo hujus si, prima afflans contagia labis,
Sanguinem et infecit perfidus ille draco,
Quo genus inficere humanum solet omne veneno,
Ipse (horret tantum lingua referre nefas)
Quam loturus erat primo de crimine natam,
Suscepit Christi sanguis et ipse luem.

XXIII.

AD VIRGINEM SE DEO IN TEMPLO OFFERENTEM.

Templo alacris jam succedis, revolutaque ad aram
Offers te summo, trimula Virgo, Deo.
Tu prior humanis delendis victima culpis,
Altera erit casto es quam paritura sinu:
Vtque hac nil majus possunt dare sidera, sic te
Nil majus tellus, quod dare possit, habet.

XXIV.

DE B. MARIA VIRGINE CUJUSCUMQUE LABIS EXPERTE.

Filius esse Dei qui vult, vitaque peracta
Tamquam heres tanti regna tenere Patris,
Ingenitam, quam materna suscepit in alvo,
Lustrali labem tergat oportet aqua:
Nec satis; ast lacrimis etiam luctuque pianda est,
Vita animum infecit siqua manente lues.
Sola nec exoriens, nec vivens suscipis ullam,
Virgo luem, macula est nulla pianda tibi,
Ut cunctis mage digna Dei non filia tantum,
Una Deo mater sed quoque digna fores.

XXV.

PIE TIMEANT REGES AD PATRIS DEXTERAM JAM SEDENTEM, QVEM REX IMPIUS TIMVIT ADHUC MATRIS UBERA LACTENTEM.

S. AUG. SERM. DE EPIPH.

Quem puerum quondam tecto sub paupere matris
Sugentem ubera Rex impius extimuit,
Nunc vos pro vestra Reges pietate timete,
Dum Patri in caeli proximus arce sedet.

XXVI.

FONS, IN QUO S. STANISLAVS KOSTKA S. I. PECTVS DIVINO AMORE AESTVANS IDENTIDEM REFRIGERABAT.

Olim Kostka meis ignem lenibat in undis;
Illum divinus quo peredebat Amor.
Ite alio juvenes, alius quos ignis adurit;
Accede huc simili quisquis ab igne cales.

XXVII.

AD B. MARIAM VIRGINEM MAJO INEUNTE.

Majus adest tibi, Virgo, sacer; floresque venustos,
Ut mos est, aram ponimus ante tuam.
O utinam totum perstet vel Majus in annum,
Virgo; tibi totus vel sacer annus eat.

XXVIII.

INSCRIBENDUM MASSILIENSI S. MARIAE MAGDALENAE SPELUNCAE.

Hoc nemus, has rupes coluit pia Magdalis, heic se
  Occuluit cari post Domini interitum.
Indignam heic repetens caedem, clavosque cru-
      cemque,
  Illum cui fixit gens rabida Isacidum,
Insolabiliter flebat, clavosque crucemque
  Sculpsit in arboreis anxia corticibus.
Huc te seu ratio seu fors adduxerit, hujus
  In speluncae, hospes, limine siste gradum;
Signaque pronus humi tanti veneratus amoris
  Paullisper totam collige mentem animi.
Quod nisi te tantae movet haec pietatis imago,
  Adspectusque tuas ni ciet hic lacrimas,
Hinc procul abscede, et clama: hei misero mihi,
      quam sum
  Rupibus his, quam sum durior hoc nemore!

XXIX.

DEUS B. M. V. CORPUS MORTIS PRAEDAM ESSE NON PATITUR.

Bisseni Christi comites heic Virginis olim
  Frigida Iessaeae corpora condiderunt.
Mors super adstabat vigilans, tantasque timebat
  Vis ingens raperet nequa sibi exuvias.
Ast Deus, exuvias non te decet, inquit, habere
  Quae quondam exuvias composuere meas.

XXX.

AD B. MARIAM VIRGINEM NASCENTEM.

Te caelum nascente micat, tellusque renidet;
Orci nascentem te tremit una domus.
Ille nec humani vetus hostis seminis Anguis
Audet tartareo tollere ab igne caput,
Quod sibi, materna dum concipereris in alvo,
Lacteolo meminit te domuisse pede.

XXXI.

VIATOR PRAETERGREDIENS FONTEM, IN QUO S. STANISLAVS KOSTKA S. I. PECTVS DIVINO AMORE AESTUANS ADMOTA AQUA IDENTIDEM REFRIGERABAT.

Aestum Kostkiades has restinguebat ad undas,
Illum caelestis quo peredebat Amor.
Ah ego si juvenem vidissem! parce flagrantem,
Dixissem, gelido hoc fonte rigare sinum;
Atque heic, si fas est, mecum conside parumper,
Et tua pectoribus pectora junge meis.
Sic mea caelestem glacies tibi leniet aestum,
Sic gelidum accendet cor tua flamma mihi.

XXXII.

DE INCONTAMINATO B. MARIAE VIRGINIS CONCEPTU.

Non hominum vetita pater unus ab arbore pomum;
Ast omnis carpsit cum patre posteritas.
Unica fatalis tu, Virgo, es criminis expers,
Tu quoque primigeno sis licet orta patre:
Ante etenim primi scelus exitiale parentis
Supremi mater lecta Tonantis eras.
Quinam igitur poenae consors communis, eras quae
Expers communis criminis, esse potes?

XXXIII.

AD B. MARIAM VIRGINEM SE IN TEMPLO LUSTRATURAM.

Quam maculam templi purgatum pergis ad aram;
Intacta, Virgo, es quae nive candidior?
Immundas inter Matres immunda videri
Si placet, ah labes suscipe, Virgo, meas!
Has purga, has dele: quarum conterrita visu
Tam foedam illuviem si tua mens refugit,
Inspice Virgineis quem natum amplecteris ulnis:
Atqui hominum labes suscipit ille sibi;
Divinoque libens Patri fit victima, nostris
Supplicia ut solvat debita criminibus.
Ne vereare meas igitur tibi sumere labes,
Sumere quas tuus haud filius erubuit.

XXXIV.

BEATA VIRGO MARIA JUXTA CRVCEM FILII SVI.

Mixta feris Mater turbis tristissima natum
Plorantes oculos vertit in exanimum,
Dum saevo [heu miserum!] pendens de stipite nostris
Supplicia exsolvit debita criminibus;
Atque olim tam pulcra, atro nunc sanguine membra
Inspiciens foedis foedaque vulneribus,
Longius heu! nequit obtutu consistere in illo,
Inque suum vertit lumina moesta sinum.
Heu tamen incassum! namque illic ipse cruorem
Manantem, foeda et vulnera pingit Amor.

XXXV.

SIMEONIS DE B. MARIA VIRGINE VATICINIUM
EX CARMINE VERNACULO P. QUIRICI ROSSII S. I.

Io nol vedrò etc.

Non ego, cui rugis canisque armata senectus
Instantem jam jam nunciat interitum,
Non casum horrendum et spectacula saeva videbo;
Funeris infandi non ego testis ero.
Ast hunc virgineis quem natum amplecteris ulnis,
Cui figis mixtis oscula blanditiis,
Aspicies hunc tu lacerum crudeliter artus,
Confixumque, Parens heu miseranda! cruci.
Optata quem tunc carpes ex arbore fructum!
Maternum fodiet quae tibi sica sinum!
Sic matrem senior nati ventura Sacerdos
Fata docet largis fletibus ora rigans:
Illa suum interea tendens ad sidera natum
Exsequitur sicco lumine jussa Dei.

XXXVI.

DE SANCTISSIMO MARIAE NOMINE CONTRA METRICAS LEGES PRODUCTO.

Non ego te arguerim Mariam si dixeris: hoc nam
  Metrica lex nomen corripuisse jubet.
Ast ego producam, atque invita lege Mariam
  Dicam, te quoties, o bona Virgo, vocem;
Sic etenim fiet, quovis ut nomine nomen
  Dulcius in nostro longius ore sonet [*].

(*) Epigrammatis sententia desumpta est ex quodam Cl. V. Comichii epigrammate, quod inter ea, quae nondum typis edita manuscripta circumferuntur, legi, atque heic appono.

Dic Mariam, haud culpo; sed enim dixisse Mariam
  Mi placet, in nostro ut longius ore sonet.
Atque utinam hoc adeo produci possit, ut ipsa
  Hui labro insideat nomen ad exsequias.

PARS ALTERA

VINCENTII FUGAE

CARMINA.

CAPUT PRIMUM

SERMONES

SERMO I.

SALCESIUS (1) A CIMANTE (2) ROGATUS, UT EXSTINCTI DIODORI (3) LAUDES CARMINIBUS PROSEQUATUR, PRIMO SE EXCUSAT: EXORATUS DEINDE PROMITTIT SE QUANDOCUMQUE EI MOREM GESTURUM.

S. Candide (4) largitor camporum, Graecia quotquot
Dives arat, quid me (5) caussantem lustra male actae
Bis septem aetatis, vis exstincti Diodori
Laudes concinere? Audisne ut pituita molesta
Assidue vetulum torquet me dum loquor, ut vix,
Nedum cantandi, fandi mihi saepe potestas
Libera sit? Quid me compellis dicere, quum tot
Praestanti ingenio juvenes, quos aequus amavit
Iuppiter, et placido nascentes Calliopea
Lumine conspexit, tibi sint ad carmina prompti?
Fac adfigatur (6) tantum ad tua limina, uti est mos,
Pan capripes buccas inflans, septemque arundo;
Atque aderunt non in numero, mihi credo, minori,
Spe famae illecti vates ac laudis amore,
Ordine quam longo, faciem occultante cucullo,

Procedunt Fratres, cerae quos uncia duplex
Allicit ad funus nocturno tempore agendum,
Si quando ad valvas templi sit nigra tabella
Fixa, ubi (7) Francisci veneramur stigmata. *C.* Semper
Tu in ludum vertis male salsus seria. Vates
Si mihi praesto essent quot sunt in littore conchae,
Quotque per aestatem strident sub sole cicadae,
Non tamen exemptus Diodori in funere abires,
Quin audiretur tua vox quoque. *S.* Dic, bone, cur? Nam
Eurialo (8) exstincto potui tacuisse; Belisa (9)
Praeterita est, quamvis dignissima laude puella.
Quodque magis, nullo laudavi carmine (10) Lydam;
Quamvis Lyda mihi teneris placuisset ab annis,
Seraque amicitiae foedus solidaverit aetas.
C Te praeter, nemo vivaces Arcadas inter
Iam superest, praestantis qui (11) socius Diodori
Vivat adhuc. Habuit vos quandoquidem domus una,
Pulla in veste ambo mensae accubuistis eidem,
Muneribusque îsdem olim addicti, lege sub una
Vixistis pariter studiis et amore sodales.
Annon vera loquor? *S.* Vera haec sunt: sed memoras res
Transactas, stupam nebat quo tempore (12) Berta.
Lepidulis quis nunc reminiscitur? Undique (13) Mavors
Dum quatit Europam bello, et circumtonat armis,

Vndique terrarum et rerum novus exstitit ordo.
C. Effugium quaeris frustra, et contendere contra.
Sic jubeo. Arcadiae soli mihi fata dedere
Imperium: vobis mea jussa capessere fas est.
Non exorata raptum aut socium Libitina
Laudabis, sero aut Pastorum Principis iram
Experiere. *S.* Papae! irarum, Pater, abstine. Ab arvis
Numquid (14) Acidoniis me vis detrudere, quae mi
Aevo praeterito adtribuit Mireus? Id ergo
In fatis erat, ut postquam misero (15) loca Petri
Montibus imposita aruerint, fructusque negarint,
Unde mihi victus, securae et commoda vitae,
Arcadiae campos etiam, mera nomina, tandem
Perdiderim? Tali haud possem superesse dolori.
Fert animus parere, Cinnas, tibi. Suffice sed tu
Materiem, quae non moveat fastidia: Pindi
Nam satis et super arentes audivimus amnes;
Frondibus exutas sicco et cum vertice lauros;
Atratas Musas Musarum cum Patre Phoebo;
Et quidquid quondam Bavius (16) temulentus Iaccho
Clamabat, qui magni exornans funera Vatis,
Haec inducebat dicentem verba Charontem:
O animae viles, inhumataque humataque turba,
Majori adventanti umbrae concedite; duro
Ni vultis conto hoc vobis caput, ossaque frangam.
C. Ridiculus fieres istis et fabula nugis.
Amoveas tandem ludos, et seria quaere.
Si digna auditu vis dicere, perlege, sodes,

Quae super exstincti laudavit corpore (17) clarus
Eloquio Orator, doctorum adstante caterva,
Mantua dum civi persolvit justa merenti:
Impressa est formis nam pagina. *S.* Tangis acu rem;
Legi ego quae memoras: et nunc ea mente re-
volvens,
Vnum posse puto perfundi laude recenti,
Indictum ore alio, unius proprium Diodori,
Olim quod cantu conabor tollere: nempe
Illum (18) longaevae vitam cornicis agentem
Philosophumque, Piumque fuisse. Istud mihi [19]
mirum,
Et simile est visum monstro. Nam cetera cunctis
Conveniunt, facili quibus adridente Minerva
Contigit obscuri de faece emergere vulgi.

---

(1) Arcadicum nomen Vincentii Fugae auctoris hujus Sermonis,

(2) Arcadicum nomen C. V. Aloisii Godardii, qui principem locum inter Arcadas tenet, et Generalis Arcadiae Custos appellatur,

(3) Arcadicum nomen C. V. Xaverii Bettinellii Mantuani vita functi Idibus Septembris anno 1808.

(4) Iis qui in Arcadum numerum a Generali Custode recipiuntur, praeter pastoritium nomen, campi quoque, quasi excolendi, assignantur, nominibus plerumque ex antiqua Graecia desumptis.

(5) Sermonis Auctor, quo tempore hunc sermonem scribebat tres supra septuaginta aetatis annos enumerabat, et ab anno aetatis suae quadragesimo quinto assiduo laterum dolore, ac pertinaci tussi laborabat.

(6) Quotiescumque Generalis Arcadum conventus indicitur, Custos ad domus suae fores Arcadum emblema suspendit, in quo *Pan Deus Arcadiae* delineatus conspicitur, fistulam labris admovens.

(7 Quam plurimae institutae sunt Romae piae sodalitates, quae inter cetera pietatis officia, munus sibi deposcunt efferendi ad tumulum mortuorum cadavera, quas inter insignis et numerosior esse solet, quae vulgo nuncupatur *Societas stigmatum*.

(8) Arcadicum nomen Matthaei Berardi. Fuit hic poeta non ignobilis in eo praecipue Poeseos genere, quod extemporale dicitur.

(9) Pastoritium nomen Isabellae Pellegrinae magnae spei puellae, quae in Arcadum coetu, vix sexdecim annos nata, argumentum sibi non antea communicatum ita ex tempore pertractavit, elegantissimisque versibus expoliit, ut praeconceptam omnium exspectationem longe superaverit. Post hujus puellae in ipso aetatis flore consumptae mortem, in primo Arcadum generali conventu, complures immaturum ejus obitum, laudesque prosequuti sunt.

(10) Hoc nomine nobilissimus Poeta Raymundus Cunichius appellare consueverat Mariam Cuccuvillam Pizzelliam in suis carminibus: feminam eruditissimam quae non solum Graecas, Latinas, Hetruscasque litteras, sed et Philosophiam, Mathesim, aliasque sublimiores disciplinas noverat. Ejus familiaritate, suavissimisque moribus sermonis Auctor ab adolescentia quoad vixit usus est.

(11) Tam Bettinellius, quam sermonis Auctor ab adolescentia *Societati Jesu* nomen dederunt, qua in Societate, donec ea permansit, constantissime perstitere. Dissoluta vero a Clemente XIV, uterque domum suam rediit, Mantuam Bettinellius, Romam sermonis Auctor.

(12) Populare adagium, quod ad res antiquae recordationis per jocum exprimendas usurpare vulgus solet.

(13) Scriptus fuit hic sermo quo tempore bellum apparabatur

contra Austriae Imperatorem Franciscum ineunte vere anni 1809.

(14) In Arcadum coetum Auctor sermonis cooptatus fuerat usque ab anno 1753. a Mireo Ropheatico Arcadiae id temporis Generali Custode, campique Acidonii tanquam excolendi fuerunt ei de more adtributi.

(15) Innuit syngraphas, seu potius chirographa a Praefecto Aerario Principis Romae iis consignari solita, quibus ob pecuniam Fisco subministratam, pro centum aureis nummis tria centesima pecuniae fenebris singulis annis solvuntur, vulgo, *Luoghi di Monte*, et *Fruttato di Luoghi di Monte*. Hujusmodi vero loca Montium, pro temporum diversitate quibus erecta fuerunt, diversa etiam denominatione gaudent, inter quae praecipuum habent locum ea, quae appellantur *Luoghi di Monte San Pietro Prima Erezione*, *Seconda Erezione*, *Terza* etc. Post vero tot tantasque praeteritorum temporum calamitates exigui nunc pro ejusmodi pecunia aerario Principis contributa percipiuntur fructus. Qua de re merito dolet sermonis Auctor, qui ex his tantum fructibus, unde vitam toleraret, habebat.

(16) Quis fuerit hic Bavius non satis constat. Fortasse ficto sub nomine eos salse perstringit auctor, quibus nostra hac aetate novitatis ad insaniam cupidis, atque optimorum poetarum simplicitatem, elegantiam, majestatemque fastidientibus nihil aliud sapit nisi nescio quis *Fingallius*, *Ossian*, et cetera ejusmodi. Hi sane a Cesarotti ingenio, quem praecipue ducem sequuntur, atque unice in deliciis habent, longissime distantes, dum sublimiora atque nimis ardua sectantur, insolenti quodam obscuroque tumidorum verborum ambitu non res ac sententias, sed nubes tantum et inania captant.

(17) Doctor Camillus Renatus in solemni funeris pompa, qua elatum fuit Bettinellii cadaver, Mantuae in ipso majori templo dum suprema illi solverentur orationem habuit eloquentissimam, qua viri amicissimi sui complexus est laudes. Hujus orationis publici juris factae, typisque impressae non nulla exemplaria Romam in manus hominum devenere.

(18) Eo die quo Bettinellius occubuit, vitae annos numerabat unum supra nonagesimum.

(19) Qui vere Philosophi quacunque aetate exstiterunt, quò sapientiores fuere, eo minus de existentia unius Dei creatoris ac moderatoris rerum omnium dubitavere. Ha vero nostra aetate non paucos ex Atheorum numero impune videmus Philosophorum sibi nomen adsciscere, atque imperitis, aut omni vitiorum coeno coinquinatis fucum facere.

OCCVPATA A FERDINANDO UTRIUSQUE SICILIAE REGE ROMANA REPUBLICA, ET GALLORUM AUXILIO DESTITUTA ANNO M. DCC. XCIX.

VATES ET LIGVRINVS

V. Teu' video an fallor, Ligurine? *L.* oculisne laboras?
Quid mirum? *V.* Hoc mirum, semper quod Proteus idem es.
Hirsuta nuper facie, brevibusque capillis
Obductam crispans frontem, obtutuque retorto
Brutum imitabaris bruto magis hispidus apro.
Nunc ambasque glaber malas, modioque farinae
Caesariem aspersus, cincinnis et calamistris
Conspicuus, pexisque comis, ac totus odorus
Adstringis caudae ad normam post terga capillos.
L Mutabit sapiens mutato tempore mores.
Dum Romanorum Respublica libera fasces
Extulit, atque Aquilae rostrum protendit et ungues,
Tunc civis Romanus eram duce et auspice Gallo:
Tunc me braccatum viderunt compita, curvum
Ferrata vagina ensem per saxa trahentem,
Et strepitu insano terrentem nocte popellum.

Sed postquam Calabros, et quos Appulia pascit,
Samnitumque genus durum, Marsosque feroces
Finibus evomuit regni Fernandus, et acres
Arripuere fugam, jactantes grandia Galli,
Desertus tanto miser in discrimine rerum
Quid facerem? Extemplo Gallorum insignia, inaures,
Cristas, pileolum, braccas, triplicique colore
Fasciolam intextam, levo haerentemque lacerto
Callidus abjeci, Venerisque urenda marito
Concessi. Ex illo comptum, nitidumque per urbem
Confuso immixtum populo cursare vides me
Vrbanum, comem, facilem, ac prope Parthenopaeum.

V. Dum tibi succedat res semper, non ego tecum
Contendam, ne ut coepisti pergas. Vereor sed
Vt semper tibi vota cadant. Nam Transtiberini,
Quique colunt urbis montes, atque ipsa Suburrae
Femina, quae vivit mammis cum lacte locatis,
Omnes ad mortem Gallos odere, crucemque
Gallorum exoptant fautoribus. Vt monitus, tu
Hos caveas; veteri si quidquam credis amico.
Suspiciosa etenim plebs est, ac naris acutae;
Quae, si quos habuit suspectos, callida tentat
A tergo, caudamque manu adtrectatque, trahitque:
Quae manibus si forte trahentis dura resistit,
Quin videas qui te tentarit, tutus abibis;
Sin unguem cessit, reliquosque a vertice crines

Deserit = Adsuta est coma ficta: viden' calien-
drum?
Proditor hic Patriae est, huic est Respublica cordi,
Perdita adhuc: adjuvit Gallos: moechus hic, et fur,
Contemptorque Dei haud credit caelestibus ullis =
Clamabunt omnes: concursus et undique fiet.
Heic tibi ne injiciat populus quid forte negoti
Videris: ardet enim temere; atque illi obvia
quaeque
Arma ministrabunt: coenum, fustesque saligni,
Citrorumque creber cortex, lapidesque volabunt.

L. Ne cauda empta mihi noceat providit abunde
Luscus Tonsorum longe doctissimus, atque
Et crines, hominesque ligandi mirus in arte (1).
Quod si quid videam forte adventare pericli,
Sum pernix, pedibusque meis tam fidere possum
Quam vel dia Camilla suis vel Phthius Achilles.
Nec mihi Mercurius deerit, vel culta Laverna
Praesentes. Num me abscondi sub fornice tecti,
Et cum lucifugis me vivere muribus optas?
Santonicosve sequi nostra tellure fugatos?
Quos penes argenti sine pondere pondera belli
Cuncta feras, dirave fame, vel ab hoste ne-
candus?
Fecerit hoc si quis Consul fuit, atque Senator,
Quique Tribunorum primi implevere cathedras

---

(1) Idem scilicet tonsor et lictor.

Vocibus insanis, ausi turbare quietos
Finitimi Damasi cineres, atque ossa sepulti (2).
Non ego Pontificem detrudere sede. nec unquam
Ausus imaginibus sacris impingere saxa
Impius, aut sanctos spurco ore lacessere Divos;
Nec Libertatis mea nata sub arbore curto
Nupsit Idumaeo senos concredita ad annos.
V. Tu tamen et Senones juvisti, multaque vestro
Pagina subscripta est, atque obsignata sigillo.
Nonne profanato in templo te Carolus (3) inter
Propugnatores Patriae dare nomen iniquae
Militiae vidit caelo indignatus ab alto?
Occultata diu patuit pretiosa supellex
Indice te procerum, quos ingens mulcta sequuta est.
Aequa et jura etiam libertatemque crepabas,
Regibus exitium minitans, mortemque Tyrannis,
More novo oppositis cognata vocabula rebus
Imponens. *L.* Olim haec fuerint: sententia nunc est
Immutanda, novus rerum dum nascitur ordo.
Nunc sacri Reges, et deliciae populorum;
Fernandus caelo nunc lapsum numen ab alto est;

(2) Prope aedem S. Laurentii, ut ajunt, in Damaso Rom. Reip. Tribuni conveniebant.

(3) In templo S. Caroli Borromaei ii qui se Rom. Reip. propugnatores profitebantur, iniquae militiae nomen dabant.

Nunc Pius immortalis erit; sacra purpura Patrum;
Ad quorum mea Musa pedes pudibunda resistet;
Et reduces tandem gratabitur .... *V.* Ocius hinc te
Ni rapis, extollo voces, quas splendida bilis
Suscitat, en clamo . . . *L.* Taceas, bone, nam bonus es vir;
Vt nemo melior, veteri junctusque meorum
Foedere amicitiae. *V.* Taceo: At tu, perdite, mores
Immutes tandem, Ligurine; meique, tuorumque
Esse velis similis; Virtutem sedulus urge,
Flagitium quocumque malo in te admittere, et ipsa
Morte time pejus. Fugias consortia prava,
Praecipue juvenum, praesens quos protulit aetas
Degener. Interea donec deferveat aestus
Militiae populique, domi tete occule, sodes,
Et caveas vulgi in lucem prodire frequenter;
Nam bene si tibi successit res aut semel, aut bis,
Fortunam stultus sperabis semper eamdem.
Exemplo tibi sit feles, quae saepe recurrens
Lardi ad frusta vorax, inopino vulnere ibidem
Stridens rauca pilum tandem malecauta relinquit.

SERMO III.

ORNITVS ET VATES

ARGUMENTUM.

In cellula officinae cujusdam ex iis, in quibus potio illa calida ex baccis Indicis tostis tritisque confecta, et vulgo *Caffè* nuncupata, venalis prostat, solebat Auctor sermonis una cum selectis quibusdam amicis paullo post vesperam inter jucundissimos sermones paullisper otiari. Forte officinator Polyphemus officinam hanc suam et cellulam illam instaurare voluit, expolire, et novis picturis exornare. Hoc temporis intervallo vates cum suis amicis aliam officinam frequentare, ne conventus ille dissolveretur, et lepidissimi sermones abrumperentur. Officina et cellula paucos post menses instauratis visum est vati eo cum nonnullis ex veteribus amicis redire, ne Polyphemus, qui non mediocrem in hanc instaurationem sumptum fecerat, spe lucri fraudaretur. Alii tamen nonulli ex nova officina discedere nescio qua de causa noluerunt: ex quibus unus quum vatem casu invenisset, eum cur illam reliquerit interrogavit. Hinc oritur sermocinatio, in qua aliquorum ex hisce amicis indoles lepide describitur.

O. Quo tendis vespertinus? *V.* Graji, ut meus est mos,
Nuper ad ornatam Polyphemi pergo tabernam,
Thracia quem mittit loturus labra liquore.
O. At tu consuêras sacras prope Apollinis aedes (*)
Esse, ubi conveniunt et Acontius, et Theotimus;
Bartolus, ac Baldus, Catius cum Longareno,
Pompiliusque, animae, queis nullas candidiores
Roma tulit, magis et factas tibi prorsus ad unguem.
V. Vera refers, comitemque habuerunt me quoque, donec
Infantes statuas rubicunda Canicula fidit,
Et calidae cellam nostra caussa Polyphemus,
Qui dat priva haurire seorsum pocula nobis,
Nondum picturis ornarat, pariete sordes
Abstergens, et commodiora sedilia circum
Disponens. At nunc meliorem cuncta redacta
Quum sint in formam, autumni et clementius aurae
Adspirent, hominem, quem nostra frequentia movit,
Vt sumptus faceret tantos, fraudare sua spe,

(*) Officina, in quam vates cum sociis, donec vetus restauraretur, transmigraverat, erat prope templum S. Apollinaris.

Esse nefas Baldusque et Bartolus ipse fateri
Non renuent. *O.* Certe at Catius non sentit idem, cui
Dicendi contra vetus est, ut scis, cacoëthes.
Ille tibi bellum jam nunc indixit, eo quod
Posthabitis seque ac sociis, tibi commodus uni
Iam diversus abis, veteresque relinquis amicos.
Hinc desertorem te inclamat, seque suumque
Adjurat caput infensus, ni postmodo in ista
Solus eris cella, aut facturus verba, molesti
Quandocumque aderunt Zonarius Aufidiusque
Multa loquuturi de braccis, atque culina.
V. More suo Catius pugnabit solus, ubi hostis
Nullus adest; magnos etiam cavet ille triumphos.
Andabatae vincunt sic, et Chisottus Iberus,
Ille molae qui frumenti praegrandibus alis,
Mobilibusque ad flatus Euri, sive Aquilonis
Bella ciet, dum terribiles putat esse gigantes.
O. Attamen et primas nocturni temporis horas
Te mihi narrabas quondam transisse libenter
Illorum in coetu. *V.* Memini dixisse, nec unquam
Inficias ibo: at vario sermone serebant
Multa illi scite ac docte: salsa atque faceta
Multa etiam. Sed nunc omnes tenet una libido,
Nunc furor unus agit de cantu deque theatro
Disserere. Unicus est illis comoedia sermo.
Pompilius melicus merus est, qui judicium fert
Cantantum de voce; choragos scilicet omnes

Novit, et ad trutinam revocans his vaticinatur
Plausus, contra illis cerebrosae sibila plebis.
Divinat Catius secus. Haud sibi Pompilius fert
Opponi quemquam, acer in hoc, sed cetera mitis
Suavisque, ut nemo: atque suas dum quisque tuetur
Partes, haud aliter quam si pro arisque focisque
Pugnarent contra, exciperent jam seria lusus,
Ni Longarenus mediae interpositus arenae,
Fanda infanda loquens, lepida abnormique Minerva
Comprimeret lites, et solveret omnia risu.
O. Numquid fastidis isthaec certamina? Pol! Tu
Tristis et austerus nimis es, qui talia temnis,
Sanus ego quae praetulerim cuicumque theatro.
V. Me quoque delectant haec ludicra: semper at idem
Auriculis iam defessis si sermo recurset,
Pertunditque caput, stomachumque atque ilia rumpit.
Men' moveat, si dum Taccus contendit acutum
Reddere, gallinae cristati voce mariti
Deterius sonat? aut si longa Gellia verrit
Veste pavimentum, dum partes docta priores
Sustinet? Aut si pulcra soror contendere primas
Aulei Marcellae meliori se, et magis arte,
Voce etiam et gestu palleuti? Est qui dolet alvi
Albinam fluxu torqueri, quodque figuram

Nondum habeant faeces egestae e ventre soluto,
Inspecto lasani bene fundo: quae mihi bilem
Saepe movent audita; viros dum cogito mecum
Cultos cordatosque moveri his rebus ineptis.
Hae nugae capiant juvenes, si qui immoriuntur
Femineis studiis, mimorum et amore senescunt,
Non me conspersum canis, qui computo lustra
Plusquam bis septem, quemque angit tussis anhela,
Sicca, vetus. Sed protrahimus dum verba sereno
Vespertina cadunt damnosa crepuscula caelo,
Quae nostro officiunt capiti. Vive atque valeto.

EPISTOLA

VATES RAGUSAE IN IESUITARUM COLLEGIO ADOLESCENTES AD HVMANITATIS STVDIA INFORMANS.

AD LUCIUM ROMAE COMMORANTEM.

Luci, si Romae fastidia linquere, et undas
Adriaci sulcare sinus, agitataque ponti
Aequora, ventorumque minas contemnere posses,
Haud timidus fragili vitam committere cymbae,
Quantum ego te his mecum Illyricis in collibus optem!
Collibus his, quibus haud fuerit cur Itala Tempe
Aut feras, juga Telegoni, Tiburque supinum,
Atque hilares Bacchi colles oleaeque feraces.
Mitius haud ego sum, vitaeque salubrius usquam
Illyrico expertus caelo; viridique senecta
Non alibi plures et firmo corpore vidi
Florentes vitam in patriis consumere silvis.
Nec mirum: namque occiduos laetabilis ora
Prospectans Zephyros, defensaque montibus altis,
Vis Boreae qua parte furit, vix frigora sentit
Hiberna; horrificansque fretum levis aura Favonî

Temperat immodicos aestiva luce calores.
Sed forsan tetricae post taedia longa palaestrae,
Iam pueris jussis, jussaque valere Minerva,
Quid securus agam, calcat dum vinitor uvam,
Et plenos Pomona errat rubicunda per agros,
Nosse optas. Curvus pelagi nec ab urbe remotus,
Est sinus: hunc virides colles, altaeque cupressus
Conifera claudunt silva; tranquillaque densis
Arboribus late viridem trahit unda colorem.
Heic nobis hilarem Majores, et satis amplam
Exstruxere domum, fessis ut scilicet esset
Quo longas post aerumnas, curasque liceret
Confugere, et fractas revocare in corpora vires.
At laetae placidas extremi ad littoris oras
Consurgunt aedes passim, villaeque frequentes.
Felix ergo animi, et strepitu secretus ab omni,
Heic ego jucundam placidi prope gurgitis undam
Vitam agito, laetusque fruor quaecunque sub alto
Offert caeruleus pelago solatia Nereus.
Nam saepe in primo gradientem littore passim
Nativis conchas maculis, et murice pictas
Collegisse juvat, scabro vel cortice cancros
Eminus impacto ad scopulos infringere saxo.
Nunc mecum libros horae solatia portans

Dulcia, praefixoque escis fallacibus hamo,
Sola in rupe sedens, quam subter leniter unda
Murmuret, insidias longae sub gurgite cannae
Demitto, exspectoque leves ad pabula pisces.
Interea aut dulces elegos numerosque Tibulli,
Aut quos ad Minci ripas modulatus avena
Tityrus, aut quos Pausilipi ridentis in acta
Divino effudit concentus Actius ore;
Actius Aonias alto ex Helicone Camoenas
Doctus raucisonas pelagi deducere ad undas,
Perlegimus: donec subita vi pene sinistra
Lapsa manu, seseque inflectens mollis arundo
Admonet incautos haesisse ad pabula pisces.
Et libris jam sepositis tolluntur in altum
Suspensi e calamis gobi, mullique rubentes
Nequidquam bifida ferientes aëra cauda.
Quid memorem nassas, et vimineos labyrinthos,
Quaerentesque lupos frustra, salpasque regressum?
Quid quum certatim ad littus sinuosa trahentes
Retia, connixi adversae obluctamur arenae
Cum sociis nautisque frementibus, et vaga turba
Aequoris in siccum trahitur captiva profundi?
Exultim cauda nil rhombo tundere arenam
Profuit, et tumidae succus loliginis ater
Cum sonitu effusus, miserae defendere mortem
Haud potuit: jacet ante pedes grex incola ponti
Semianimis, panditque immanes oris hiatus.
Interdum praeda ingenti non ipsa caret nox.
Saepe etenim caelo quum nullo Cynthia fulget

Lumine, quum Zephyri posuere, ac flamina fluctus
Nulla agitant, lateque silent placida aequora ponti,
Puppis ubi surgens subjectis prominet undis,
Ligna super tripodem inversum congestaque taedae
Fragmina construimus, laetosque accendimus ignes,
Qui late claro perfundant lumine pontum.
Luce nova accitum videas genus omne natantum
Vndique confluere, et circum de more phaselum
Lascivire choris. Fertur quacumque per undas
Cymba levis, multus sequitur facto agmine piscis.
Heic aliquis rigidum doctus jactare tridentem
Ferrata nunc sude pagrum, nunc cuspide thynnum
Transadigit, magnamque ictu transverberat umbram.
Tum praeda excipitur plausu fremituque secundo.
Interea alciones scopulos concentibus implent,
Per noctem alciones mulcentes aequora cantu.
Sed me non tantum fallacibus aera recurva
Insidiosa cibis, et acuto fuscina ferro,
Longaque piscosi sub gurgite retia ponti
Demersa oblectant, quantum jucunda voluptas,
Aequoris in laeta quam nuper cepimus ora,
Ostrea piscantes et duro cortice testas.

Est sinus, Illyrico quotquot se littore condunt,
Pulcrior ante alios: scenam speciemque theatri
Qui circum assurgunt scopuli collesque virentes
Objiciunt; altae rupes et plurima silva
Arboribus densis, laterumque objectibus omnes
Ventorumque arcent fremitus pelagique tumultus:
Unde sinum populi dixerunt nomine *Stagnum*.
Gurgite sub medio (possit quis credere, certam
Ni faciat res ipsa fidem?) dulcissima fundo
Limoso erumpens hinc atque hinc copia lymphae
Pullulat, atque undis intermiscetur amaris.
Unde aliquis nando posset sub gurgitis imo
Salsas inter aquas dulces haurire liquores.
Ergo alti imperium qua porrigit Amphitrite
Non aliud facile invenies vasta inter aquarum
Aequora, quod mage sit generosae fertile conchae.
Nam testae genus hoc, lapidosi mole gravante
Corticis, ima tenens plures educere fetus
Haud alibi suetum est, tantumve quiescere gaudet,
Quantum ubi coenoso putrescit gurgite limus,
Et dulcis latices salsos ubi temperat unda.
Qua vero ratione ex imo educere fundo,
Et praeda ingenti valeas onerare phaselum

Perfacile est scitu. Nam quum clementior aura
Occiduis spirare jugis, Zephyrique tepentes
Vere novo incipiunt, tunc quum genus omne animantum
Pertentat fecunda Venus, sobolisque creandae
Dulcis amor, jam tum placidi gens accola stagni
Ramorum ingentem numerum detondet ab altis
Ilicibus, ramosque ipsos demergit in imo
Aequoris, omnigenae spoliatos frondis honore.
His igitur toto sparsis sub gurgite, quando
Testarum nova progenies incerta sub undis
Invenit nondum certas ubi ponere sedes,
Oblatos ultro frutices sibi deligit; et jam
Valvarum qua parte coit praedurus ultrimque
Cortex, occultata intus plena ostrea succo
Viscosum gluten Phrygiae pice lentius Idae
Exsudant lacrimae in morem, quo denique tonsis
Iunguntur ramis, multoque tenacius haerent
Quam rubra muscosis affixa corallia saxis.
Neve unam, aut aliam tantum coalescere in uno
Cortice credideris concham: densantur in isdem
Innumerae ramis, et eadem sede morantur.
Nam postquam primae truncis haesere, subinde
Non aliae super atque aliae, sitientia longae
Aestatis donec labuntur tempora, cessant
Haerere et frutices circum vestire profundos.
Ergo ubi sol currum cancro deflexit ab alto,

Autumno redeunte, juvat placidissima si quem
Stagna vadi tentare, et magnam avertere praedam,
Haud ingens labor est; ad littora curva paratae
Corticibus quernis stant haec ad munia cymbae.
Exiguo nam dum pellis freta versa phaselo,
Oblongum funem, quem ferreus uncus obarmet,
Sub pelagi fluctus puppi demittis ab alta:
Interea huc veheris properato remige et illuc,
Atque alios iteras cursus, aliosque recursus,
Submersis donec ramis apprenditur uncus.
Tum vero ipse manu funem legis; at neque summis
Idem tu valeas e fluctibus emergentem
Sustentare manu ramum, neque viribus impar
Haerentes poteris conchas imponere cymbae.
Usque adeo illarum numerusque, et pondus adauctum est!
Nec jam aliquid viridis quondam de cortice trunci
Dein facile invenies, totum conchylia quod non
Complerint duris penitus latitantia crustis.
Ceu quum fecundis coepit mitescere in hortis
Tristis hiems tepidae primis afflatibus aurae,
Persicus induitur gemmis rutilantibus, et jam
Formatis nondum foliis pulcherrima flores
Ostentans, roseo longe spectanda colore

Surgit, purpuerisque latet sub frondibus arbor.
Talia me placidas oblectamenta per undas
Littoris Illyrici recreant post longa palaestrae
Taedia, dum virides forsan tu Tiburis umbras,
Atque animo Albuneae resonanti murmure fontem
Praecipis, et fecunda udis pomaria rivis.
Verum si nostri memorem tibi cura subiret
Vlla animum, ut velles absentem visere amicum,
Illyricos penetrasse sinus, fluctusque sonantes
Aequoris Adriaci non te superasse pigeret.

HEROICA

DE BEATA VIRGINE AB ANGELO SALUTATA.

Ante Parens rerum quam caeli conderet axem,
Et grave telluris libraret in aëre pondus;
Littora quum nondum circumdabat Amphitrite,
Nondum multiplici fulgebât lumine Phoebus;
Ipse Deus jam tum fertur devinctus amore
Iessiadem in cunctis sibi delegisse puellis,
Quae diam pareret sobolem; simul adforet hora,
Quum sese aethereis tandem demitteret astris
Laturus terrae auxilium, et mortalibus aegris.
O longe ante omnes fortunatissima Virgo
Quam Deus eximie donis caelestibus auxit,
Praeque aliis unam tanto dignatus honore est!
Ten' Pater omnipotens tanto dilexit amore?
Ten' Patris optavit proles aeterna parentem?
Ten' sibi Divus Amor sensit tanto esse jugandam
Connubio, tantisque augendam, Virgo, Hymenaeis?
Quae simul annorum completis cursibus, orbi
Venit laeta dies, en pura in veste refulgens
Nuncius aethereis e verticibus delapsus
Tecta supervolitat pennis plaudentibus arcis

Nazareae, tete rerum pulcherrima Virgo
Invisens, tete haud quidquam tibi tale putantem.
Tempore namque illo sub pectore Virgo revolvens
Carmina prisca patrum, veterumque oracula vatum
Venturo lacrimans in Numine suspirabat,
Adcelerans prece quaesitam mortalibus horam,
Impia terrigenum qua demum saecla luantur,
Et finem scelus inveniat, quo didita late
Tot mala tellurem misere grassantur in omnem.
Heu mala! quae nunquam sunt ausa incumbere terris
Quum primaeva olim vafri decepta colubri
Fraude parens nondum vetitas consumpserat escas.
Namque olim primae quum nondum semina labis
Foedassent terram morbis luctuque carentem
Iucundam primi vitam duxere parentes.
Tunc non humanam terrebant fulmina mentem,
Non subito horrifico nutabat terra tremore,
Aequora non tantis se fluctibus attollebant:
Ibant tranquillo felicia secula cursu.
Vmbrarum quae Rex obliquo lumine limans
Aetherei data jussa Patris contemnere suasit,
Ignaram fallens colubri sub imagine matrem.
Ah misera, ah quantis objecit luctibus orbem!
Perdidit ah quibus illa malis decepta nepotes!
Tunc etenim telis armata et falce cruenta
Tellurem primum mors cladibus externavit,

Horrificumque niger barathrum patefecit Avernus.
Nec spes ulla aegris tam duram evadere sortem
Perniciemque olim mortalibus adfulsisset,
Ni matrem Deus ipse afflictae spondeat Evae
Alteram in aethereas venturam luminis auras,
Divinam certo pariat quae tempore prolem,
Tartarei dirumque caput pede conterat anguis.
Conscia quam secum meditans dum cogitat unam
Iessias, et tacitis suspendit vota labellis,
Adspicere ut vultus tantae queat Heroinae,
Illi et jucundo famulari serva labore,
Oscula divinis cupiens defigere plantis,
Improvisus adest fulgenti in luce minister
Desuper aeterni referens mandata Tonantis.
Protinus insueto riserunt lumine tecta,
Et permulsa domus caelestes halat odores,
Quales nec Syrii, nec odoriferi Nabathaei,
Aut molles Arabes mittunt felicibus oris.
Ast ubi plumipedem Virgo conterrita vidit,
Fecundamque audit matrem se nomine dici,
Mille animi experiens motus dejecit ocellos,
Virgineusque rubor calefacta per ora cucurrit.
Vellera ceu si quis Tyrio violaverit ostro,
Aut qualis rosa, quae septis succrevit in hortis,
Quum primum coepit Zephyri clementior aura
Occiduis spirare jugis, mox suave rubentis
Vertice purpureos praepandit frondis honores.
Quin se animo obfirmans haec forsan dona recuset

Ni motus dubiae jubeat componere mentis
Nuncius, et supera afflatam divinitus aura
Spondeat, intacta parituram Numen ab alvo,
Quin castum amittat polluto corpore florem.
Quae dum audit curarum omnis deferbuit aestus,
Laetaque Virgineos oculos frontemque serenat.
Vt cum purpureo se lumine conspiciendum
Sol praebet toto depulsis nubibus axe,
Quas prius imbriferi densarant flamina Cauri.
Tandem ait. O quicumque poli de vertice summo
Missus ades: Matrem si me Deus esse suam vult
Virginei interea servato flore pudoris,
Augeat immeritam tantae me munere taedae.
Talia commemorat: pennis ille aëra tranans
Laetus jam caelo retulit responsa puellae.
Tunc Patris immensi Proles par ipsa Tonanti
Virginis intactae puram properabat in alvum:
Quam comitabatur subeuntem viscera Matris
Aligerûm mille hinc atque hinc chorus adsultantum;
Quorum pars molles agitabant rite choreas,
Pars casto incensas quatiebant lampadas igne,
Pars cithara edebant sonitus fidibusque canoris,
Ast alii dulces modulantes gutture cantus,
Tales clarisona concentus voce ciebant,
Tolle animos, Virgo, clarum decus innuptarum,
Insueto quam Divus Amor sibi foedere junxit,
Dilexit quamque ipse Pater magis omnibus unam.

Te quoque nunc summi praesenti numine Patris
Vnigena en Matrem sibi te praegestit apisci,
Humanumque tuo sumens de sanguine corpus
Ingreditur sancti en uteri inviolabile claustrum.
Teque suam jam nunc tellus, te jam arduus aether
Reginam colit, et felicem nomine dicit.
Haec olim dum spectat opus mirabile turba
Aligerûm cecinit jucundo carmina cantu.
Illa autem tanto ditem se munere cernens
Toto animo, toto volvebat pectore Numen,
Nec poterat grati sensus expromere cordis.

ECLOGA I.

MENSIS MAIUS MARIAE VIRGINI
DICATUS.

CORYDON MELIBOEVS.

Cor. Dic mihi (nam Phoebus nondum duodena peregit
Signa poli, patriis ex quo depulsus ab oris
Heic miser exiguo pecori nova pabula quaero)
Quid tantum, Meliboee, nemus collesque propinqui
Pastorum insueto respondent undique cantu?
Num vos, quandoquidem Majae venere calendae,
Formosae heic laetos Florae celebratis honores,
Felicemque agris, pecorique exposcitis annum?
Cui properat Nymphae, quos undique rustica nuper
Carpebat pubes, in serta nitentia flores?
Mel. O Corydon, dulces cantus, quibus assonat aether,
Et nuper vario contextas flore corollas
Non florum matri pastorum turba paramus,
Nec cuidam ex Nymphis, quales errare videmus
Per lucos passim, aut fluviorum emergere fundo.
Nympha alia, aut Diva his potius celebratur in oris.

Omnis cui tantum concedat Nympha decore,
Quantum rivus aquae Tiberini fluminis undae,
Cum superat ripas hiemalibus imbribus auctus.
Nec solum Majis resonant huic festa calendis
Carmina: sed donec mensis laetissimus anni
Florescet, pubem hunc nova texere serta juvabit,
Tollere et ad caelum Nymphae immortalis honores.

Cor. Quid tantae, Meliboee, mihi quoque nomina Nymphae
Non pandis, cur et tam longo tempore, et isto
Praecipue tantos illi tribuatis honores?
Ipse etiam Nymphae, norim modo, serta pararem,
Illius et nostra haec caneret quoque fistula laudes.

Mel. Parthenis est nomen Nymphae, qua dignior unquam
Nulla fuit, nostros cui consecremus amores:
Vtpote quae superis quondam divinitus auris
Afflata, aeternam, Virgo, sub luminis oras
Ediderit prolem, per quam pastoribus atras
Cocyti ripas, dabiturque evadere Averni
Squalentemque lacum atque ardentes sulphure campos;
Tum superos sperare agros, et rura beata.
Insuper hoc quodcumque boni speramus agrestes
Parthenis id sperare jubet. Bona Parthenis agris
Dat gravidas segetes, laetis dat gramina pratis,
Pabula dat pecori, teneris lac sufficit agnis.
Demittit caelo pluvias, et nubila pellit.
Ergo inter menses, qui formosissimus anni est,

Hunc illi merito pastorum turba dicamus,
Illi quae Nymphas inter dignissima cultu est.
Cor. Quae rupes, Meliboee, cavis quae in montibus antra,
Aut quae desertis habitans in vallibus Echô
Parthenidis famam ignorent, atque inclyta facta?
A primis et ego suevi pueriliter annis
Hunc colere ante omnes, et parva huic munera ferre:
Hunc tantùm haud noram vos inter qui viget usus.
Sed novisse juvat; patriosque revisere fines
Si misero annuerint superi, collesque beatos,
Hunc morem instituam, et quoties caput efferet arvis
Florifer omnigenos effundens Majus odores
Parthenidi toties sollemnia sacra novabo.
Mel. Quin age, et hinc placitum, Corydon, mecum incipe morem.
Incipe Parthenidis modo tollere carmine laudes,
Quandoquidem dulci invitat nos murmure rivus,
Et praebet quercus patulas cantantibus umbras.
Cor. En adsum: voces cantu modo flectere suetus
Incipias, Meliboee, prior: tua carmina nostras
Iam pridem resides acuent ad carmina musas.
Mel. Incipiam: modo cantanti mihi Parthenis adsit.
Irrigui fontes, et qui per gramina serpis,
Rivule, Parthenidem canimus. Dum cantibus illam
Tollimus, undarum quaeso compescite murmur.
Cor. Aurae, quae circum strepitis plaudentibus alis,

Carmina Parthenidi sacramus: versibus illam
Dum colimus, vestros quaeso cohibete susurros.

Mel. Qualis puniceis invecta Aurora quadrigis
Exoritur, camposque et prata virentia late
Mane novo roris caelesti munere ditat,
Talis virgineo prodit se Parthenis ore.

Cor. Qualis fulgenti vectus super aethera curru
Auricomus Titan ridenti in luce coruscat,
Purpureoque imas convestit lumine terras,
Talis Virgineae resplendet gratia frontis.

Mel. Vicinis redolet myrtus gratissima in hortis;
Majores sed Virgo parens diffundit odores.

Cor. Suave rubet laetis rosa formosissima campis,
Suavius at Virgo suffunditur ora rubore.

Mel. Dulce sonant grato labentes murmure fontes;
Dulcius at resonant nobis tua nomina, Virgo.

Cor. Dulce sonant quas ingeminat Philomela querelas;
Dulcius at laudes mulcent mihi Virginis aures.

Mel. Laeta rosas Iericus, Sion dat clara cupressus,
Iactant proceras Libani juga frondea cedros:
Lilia Virgo cupit: cupiet dum lilia Virgo,
Despiciamque rosas, et odoro cortice cedros.

Cor. Sublimes Reges turres, laqueataque cives
Auro tecta colunt, miratur marmora vulgus:
Parthenidi dum simplicitas, et rura placebunt,
Despiciam regum turres, laqueataque tecta.

Mel. Carpite certatim pecudes laetissima campi

Gramina: dum rura haec defendet Parthenis, herbae
Nec vobis, nec deficiet lac mollibus agnis.
Cor. Pastores gaudete: polo dum Parthenis alto
Vos bona defendet, scabies non dira nocebit,
Nec rabidus teneris lupus insidiabitur agnis.
Mel. Desine plura, puer, jam se demergit in undis
Phoebus, et obscuro consurgit vesper Olympo.
Ad caulas pecudes saturas jam ducere tempus;
Cras quoque, ni refugis, tete arboris hujus ad umbram
Exspecto: plura heic fors et meliora canemus.

ECLOGA II.

IN FESTÒ S. ALOISII DIE.

CORYDON TITYRUS.

Cor Tityre, quid patrii celeres Anienis ad undas
Lentus agis, nec sublimes adscendere ad arces
Tiburis ulla movet te cura, ut visere pompam
Tu quoque in urbe velis, qua splendent Daphnidis arae?
Quid segnis tumulo ex isto, dum gramina tondent,
Cernis oves, viridique moraris in aggere ripae?
Tit. Immeritum dictis, Corydon, me carpis amaris,
Segnitiemque mihi temere objicis. Ipse superno,
Ipse puer Daphnis qui me despectat Olympo,
Novit quam multo ardebat mihi pectus amore,
Vt possem tutas alio custode per herbas
Linquere oves, urbemque adscendere, Daphnidis aras,
Magnaque visurus sacrae spectacula pompae:
Sed vetuit precibus non exorabilis ullis
Dura parens; dixitque, puer, cave, Tiburis arces
Adscendas; cave te populo immiscere frequenti
Sic temere; nolo te in tanta pericula mitti.
Quid faceres, Corydon, talis tibi si quoque mater

Esset, et ex hoc te campo discedere nollet?
Cor. Non ego te arguerim servantem jussa Parentis,
Nec matrem nato quaecunque adversa timentem.
Verum age, quandoquidem meritos tibi reddere honores
Divino haud licuit juveni; nec fervida cordis
Ardentis, dextra sacras revolutus ad aras
Lilia protendens, potuisti expromere vota;
Illius egregios mores, atque inclyta facta
Ne saltem pigeat dulcis modulamine cantus
Tollere, et e collo pendentem inflare cicutam.
Tit. En ultro incipiam, tu deinde sequare; canamus,
Si placet, alternis: cupiunt alterna Camoenae.
Quamvis stellantis teneat jam limina Caeli,
Daphnis, et aeterni saturetur nectaris haustu;
Ille tamen nostro celebrari carmine gaudet.
Cor. Quamvis siderei sedeat jam vertice Olympi
Daphnis, et ambrosiae roseo bibat ore liquores,
Pastorum curas oculis tamen adspicit aequis.
Tit. O mihi si caelo tantum delapsus adesset
Daphnis, ut ardentis recrearer lumine vultus!
Cor. O mihi si volucri liceat super aethera curru
Scandere, ut augustae contempler frontis honores!
Tit. Ante oculos juvenem, quum me sopor altus haberet,
Ipse ego conspexi, bene olenti candida fronde
Lilia gestantem, niveaque in veste nitentem.
Cor. Vidi ego, dum prima captarem nocte quietem,

Purpurea juvenem praecinctum veste, coronam
Gestare, atque novam dextra protendere palmam.

Tit. Pallentes violae surgunt per opaca locorum,
Et rosa Pestanis gaudet concrescere in hortis.
Lilia Daphnis amat: dum lilia Daphnis amabit,
Despiciam violas, biferique rosaria Pesti.

Cor Moenia magnifici gaudent sublimia cives
Incolere, et celsis surgentes turribus urbes.
Daphnis amat silvas: dum silvas Daphnis amabit,
Despiciam turres, et celsas moenibus urbes.

Tit. Si bonus hos campos defendet Daphnis ab alto
Aethere, quis possit timuisse mapalibus ignes?
Non illum ignis edax est ausus tangere, somnum
Dum capit, et stramen flamma crepitante cremaret.

Cor. Quis timeat campis, adsit modo Daphnis, aquarum,
Diluviem, nimio quum crescit flumen ab imbre?
Illum inter fluctus lapsum, famulantibus undis
Incolumem flava exposuit Ticinus arena.

Tit. Ne seges eludat messem fallacibus herbis;
Magna sed in magno veniat tritura calore
Tu facies, vacuas reples qui frugibus arcas.

Cor. Tu qui testa oleo facis ut crescente redundet,

Flatus ventorum tumidos cohibebis et imbres,
Ne baccae viridis putrescant semper olivae.
Tit. Desine: jam Phoebus medio successit Olympo
Igneus, et querulae rumpunt nemora alta cicadae.
Arent prata, caput lassoque papavera collo
Demisere: umbras pecori jam quarere tempus.

PARTHENIS.

Partheniae Musae, quae fortunata tenetis
Arva Palestinae, dulcis quando ordine laudes
Dicere Iessaeae et sublimia facta puellae
Suadet amor, faciles precor adspirate canenti,
Et dignum tanta concedite Virgine carmen.
Tuque adeo, ante omnes summus quam diligit unam
Rex superûm, trepidum tanto sub pondere vatem
Alma regas, pedibusque adsis, o Diva, secundis,
Inter Idumaeos quis nescit Pastor Amyntam?
Parthenidis casto flagrantem pectus amore,
Et doctum calamis deducere carmina Amyntam?
Saepe illum patrios mulcentem cantibus agros,
Parthenidemque cavas rupes resonare docentem
Audivere olim Lycidas et pulcher Iolas,
Ducebant ut forte pecus Iordanis ad undas.
Dumque novis vacuas implet concentibus auras
Coniferae nutant silvae, sua flamina venti
Compescunt, liquidas pecus obliviscitur undas.
Nam canit, ut, dulces quum nondum luminis auras
Parthenis hausisset, nondumque immania brutae
Pondera telluris librasset in aëre mundi

Conditor, ex nihilo lucem, solemque creanti
Haereret tamen illa Deo, et componeret orbem.
Ipse Deus maria et terras caelumque profundum,
Sidereasque faces et clari lumina solis
Educens, oculos gaudens figebat in illa.
Tum memorat comitata choris ut mille per auras
Aligerûm formosa anima ad nova munia vitae
Venerit, et purae in ventrem se immiserit Annae
Purior ipsa: hominum fortunatissima quando
Communem labem, et colubri fatale venenum
Vitavit, stygiique ausus compescuit hostis.
Nascere Diva, tuoque aegris mortalibus ortu
Affer opem, culpas et primae dilue matris.
Te tellus cupit impatiens; tibi ab ubere fructus
Submittitque sinu, et laetos effundit odores;
Adventuque tuo laetantur et aequora ponti,
Et nemora et fontes, et pictis nubibus aër.
His addit, vix tres hiemes divina puella
Permensa ut patriamque domum veteresq. penates
Liquerit, et dulci capta immortalis amore
Numinis ad templi sese devoverit aras,
Virgineum nullo non servatura pudorem
Tempore, contaetusqe omnes osura viriles.
Tum plectro graviore sonans connubia sancti
Numinis aggreditur immortalesque Hymenaeos,
Virgineique uteri pondus mirabile narrat:

Utque novem postquam Phoebe reparaverat orbes
Divinos tandem partus (mirabile dictu)
Ediderit, positusque Infans sub rupe jaceret,
Mollibus haud fotus cunis, sed frigore saevo,
Sed gelida ventorum anima pulsatus et imbre.
Hinc memorat lacrimas, atque alte vulnus adactum
Parthenidi, primum octava sub luce cruorem
Quum vidit nati; consolaturque dolentem,
In templo senior, quum fatis ora futuris
Solvit: seu rediens sacris quum forte peractis
E templo, amissum natum non repperit usquam;
Et relegens iter omne, et longo fessa labore
Nedquidam voces ad sidera jactat inanes.
Ceu quum dilecta viduatur compare turtur,
Aut qualis celsa queritur Philomela sub alno,
Durus ubi implumem nido detraxit arator
Progeniem: non illa petit jam pabula nota,
Non gelidos curat fontes, sed robore celso
Moesta sedens longis implet nemora alta querelis.
Sed non hic lacrimis finis: majora dolenti
Vulneraque et luctus restant in funere nati.
Jamque refert concussa gravi, non victa dolore
Prolem ad supplicium ut mater comitatur euntem,
Dilectam Mater prolem: ut vidit ipsa gementem,
Lapsantemque gravi natum sub pondere trunci;
Viribus atque impar oneri succedere vellet.

Crudelis frustra conanti plurima miles
Increpitat genitrici, et longa summovet hasta.
Heu quid agis miseranda Parens? quid moesta dolentem
Prosequeris natum celsi ad crudelia montis
Culmina? qui poteris tantum perferre dolorem?
Perdit te miseram pietas tua. Perfida clavos
Turba parat: sonuere ictus, moribundaque nati
(Heu pietas!) duro pendent e robore membra.
Jamque ipsas tangit rupes quoque funus acerbum,
Illius et mortem deplorant saxa; dolorem
Testaturque suum tellus magno excita motu,
Nigrantique comas obnubens Phoebus amictu.
Ah mater, jam non mater! quid vulnera nati
Conspicis, exanimosque sinu complecteris artus!
Vos matrum pia turba, hinc vos abducite matrem,
Ne vitam dolor abrumpat, mortemque sub ipsam
Dilaceret materna atrox praecordia luctus.
Tum lacrimis cessans, meliori et carmine adorsus
Parthenidis laetus memorat nova gaudia, quum mox
Ante oculos stantem claraque in veste nitentem
Ipsa suam prolem videt, et notum decus oris
Conspicit, et ductos audit de morte triumphos.
Quid flammas flammis, adjectosque ignibus ignes
Commemorem, quando caeli de parte serena
Cum sonitu illabens orantem Spiritus illam

Afflavit, totumque replevit numine pectus?
Jamque novum molitus iter ridentis Olympi
Caelestes aperit valvas, vectamque per auras
Parthenidem claro deducit in aethera curru.
Nec silet, ut gemmis claroque educta pyropo
Moenia, chrysolithûmque urbem splendore coruscam
Intranti, superûm chorus adsurrexerit omnis;
Utque illam caelestis Amor, Natusque, Paterque,
Sidereo in solio, regnique in parte locarint,
Unde homines, terrasque imas, pelagusque profundum
Ardua, despectatque ipsos supera alta tenentes.
Quae dum cuncta canit, cursus compescit aquarum
Jordanes, tacet aura, silent nemora avia, et alte
Restituunt vocem cautes rupesque propinquae.

EPIGRAMMATA VARIA.

I.

IN NUPTIIS ALOISII .... ET JULIAE ....

Per sacram Phoebi laurum, citharamque sonantem,
Iratus dixi, castaliumque lacum:
Si pro cantatis toties nova carmina sponsis
Condidero, Pindi e vertice dejiciar.
Juranti Musae adstiterunt, et testis Apollo;
Certaque perjurum poena luenda manet.
Ad cantum redeo tamen, et te, Julia, teque
Flos juvenum, Lodoix, prosequor ad thalamum.
Ast ubi par juvenum invenies virtute, loco, re,
Corporis atque animi dotibus huic simile?
Videris hos, et eris perjurus tu quoque, Phoebe,
Nec poteris digitos abstinuisse lyra.

II.

AD BEATISSIMAM VIRGINEM.

Dispeream si quidquam aliud te praeter amavì,
Ni te, Virgo, aliis omnibus antetuli.
Dispeream si quidquam aliud te praeter amabo,
Ni te, Virgo, aliis omnibus anteferam.
Unica tu puero, Virgo, mihi flamma fuisti,
Unica eris tremulo tu mihi flamma seni.

III.

AD EAMDEM.

Qualis quum placidus ponti premit aequora Nereus,
Et Zephyrus leni flamine stringit aquas,
Cymba volans tuto spumantia marmora cursu
Findit, carbaseos implet et aura sinus:
Talis vita mihi, si me, bona Partheni, amabis,
Ridenti si me lumine conspicies.

IV.

AD EAMDEM.

Qualis quum fundo iratus ciet aequora Nereus,
Fluctibus et tumidas increpat aura minas,
Fertur inaequali puppis male tuta procella,
Concitaque ex imis fervet arena vadis;
Talis vita mihi, ni me, bona Partheni, amabis,
Averso si me lumine despicies.

V.

DE S. ALOISIO GONZAGA AD RIVULUM.

O qui languidulos recreas aspergine flores,
Rivule vicinis edite verticibus,
Si trepidum in nostros cursum deflexeris hortos,
Lilium et hoc placido flumine perlueris,
Ambrosios niveo spirans quod vertice odores
Gonzagae plaudit puberibus foliis,
Pro merito hoc, rivus Gonzagae nomine dictus
Mincî clarisonis aemulus ibis aquis.

VI.

IN REDITU PII VII. P. M.

Dum reducem tandem post tot discrimina rerum,
Optime Pontificum te tua Roma videt;
Et populus late effusus per compita fervet,
Et desiderii vult dare signa sui,
Hi manibus plaudunt, hi candida lintea jactant,
Vocibus hi complent aëra laetitiae;
Sparguntur flores, pendent aulaea fenestris,
Pulsaque templorum turribus aera sonant;
Adcurrens et ego, et conatus plurima frustra
Ereptis plane sensibus obstupui.
Hiscere nec potui: lacrimarum sponte sed imbre
Manante ex oculis immaduere genae.
Cetera signa queunt mentiri: non lacrimae sic,
Quas pietas, et quas fundere jussit Amor

VII.

AD AMICUM QUI CAEDEM ABELIS CARMINIBUS DESCRIPSERAT.

Et quondam placuere mihi mea carmina, et almis
Aonidum rebar me placuisse choris.
Sed postquam sunt lecta mihi tua carmina, postquam
Lectus fraterna caede cruentus Abel,
Displicuere mihi ex illo mea carmina, et almis
Me sensi Aonidum displicuisse choris.

VIII.

DE PIO VI. P. M.

Si justum, si munificum, Pater optime, si te
Ornatum meritis dicimus egregiis,
Nemo erit haec vere de te quin omnia dicta
Sentiat, aut quidquam detrahere inde queat.
At de aliis vere fortasse haec dicta fuere
Principibus, Petri qui tenuere locum.
Sexti haec sola Pii laus est: haec contigit ante
Nulli, te praeter, gloria Pontificum;
Quod regni quartum properas dum condere lu-
strum,
Nunc magis incolumem te tua Roma cupit.

IX.

DE GRATIA CAELESTI, EX CARMINE VERNACULO BENEDICTI AB UVA, CUJUS INITIUM . .

Come tenero fiore etc.

Qualis, quem caeli ros, aut levis educat imber,
Flos nitidus grato pandit odore sinum;
Talis divinis floret virtutibus ille,
Gratia caelesti quem rigat ambrosia.
At vilis, pulcroque carens virtutis honore,
Gratia cui se non fuderit alma, jacet;
Non secus ac pigro languet flos natus in agro,
Quem neque ros caeli, nec levis imber alit.

X.

VIRGINI IN MONTANA ABEUNTI THYRSIS PUER ET PUELLA ELPINA OCCURRUNT, EX CARMINE VERNACULO FRANCISCI DE LEMENE CUJUS INITIUM.

Tirsi il fanciul, la verginella Elpina etc.

Dum Virgo in montes divino Numine feta
Cognatae properat visere tecta domus,
Occurrunt Thyrsis puer atque Elpina puella;
Lilium et haec offert, porrigit ille rosam.
Lumina convertens tum Virgo, ac suaviter illis
Subridens tales edidit ore sonos:
Accipio formose tuum munus, puer, at tu
Tecum habeas, serva et, cara puella, tuum.

X I.

IN CHRISTUM CRUCIFIXUM, EX CARMINE VERNACULO EQUITIS IO. BAPTISTAE MARINI, CUJUS INITIUM.

Or che morir ti miro etc.

Ni victus moriar dolore tecum,
Pro me quando hodie dolore victum
Te, Iesu, aspicio halitu supremo
Exhalantem animam, in sinu rigenti
Heu vere mihi saxeum riget cor!
Corde immo heu careo! O mihi cor esset
Saxeum licet! ipsa namque saxa
Si nunc horrida montium dolore
Victa dissiliunt, dolore victum
Cum saxis mihi dissiliret et cor.

XII.

PASTOR DAPHNIS SENEX SUSPENDIT PANI CLAVAM, RETINET SIBI FISTULAM (*).

Daphnis ego pastor suspendo jam gravis annis
  Nodosam hanc clavam, Pan Tegeaee, tibi.
Sola haec disparibus restet compacta cicutis
  Fistula, nam dulcis vox mihi restat adhuc.
Ah! nequis referat nostris in montibus usquam,
  Daphnida jam fractum viribus esse, lupis.

Macedonii.

XIII.

PROMACHUS MILES PHOEBO PHARETRAM SUAM TELIS VACUAM.

Hos arcus, hanc et vacuam tibi, Phoebe, pharetram
  Victor suspendens munera dat Promachus.
Tela emissa horrens dum fervet pugna, recepta
  Pectore habent hostes munera digna suo.

Mnesarchi.

(*) Quae sequuntur Epigrammata desumpta ex Graecorum Poetarum Anthologia edita jam fuerant Romae an. 1806, typis Caetanis ad collem Exquilinum.

X I V.

DE DEMOCRITO ET HERACLITO.

Nunc sane fleres vitam magis, Heraclite,
Est siquidem lacrimis nunc mage digna tuis.
Et tu rideres mage nunc, Democrite, quando
Irridenda unquam non mage vita fuit.
Vellem vos imitari ambos; et totus in hoc sum
Qui lacrimas risu conciliare queam (*).

Incerti.

X V.

ARCHIPPUS MORIENS FILIIS SUIS.

Archippus senior fecundi cultor agelli,
Haec moriens natis ultima dicta suis.
Excolere, o pueri, concordibus unica terram
Cura sit, et vobis sit labor unus agri.
Nec quisquam e vobis lucri spe captus inani
Infidi anteferat saeva pericla maris.
Quanto deterior vera genitrice noverca est,
Tanto aequor terra est ubere deterius.

Antipatri.

(*) Hoc epigramma parum differt ab eo quod in sua Anthologia edidit Raymundus Cunichius. Sunt et alia quaedam, quae quum ejusdem αυτογραφȣ απογραφα sint, mirum esse non debet, si quamdam habeant inter se similitudinem: operae tamen pretium est videre quomodo viri et graecae et latinae linguae scientissimi graecos poetas pro suo quisque ingenio et stilo latinos fecerint, et ubi conveniant, ubi discrepent.

X V I.

VATES DE SE IPSO ET DE DORIDE.

Vnum de flavo vellens sibi vertice crinem
Doris pulcra mihi est visa ligare manus.
Tunc ego subrisi: nam tenuia vincla putabam
Me facile arbitrio frangere posse meo.
Verum ubi conanti nulla mihi solvere nexus
Arte datum, penito e corde dedi gemitum.
Captivusque trahor nunc crine ligatus ab uno,
Heu miser! immiti quo lubet a domina.

Pauli Silentiarii.

X V I I.

TROJANUS IMBELLIS AD TUMULUM AJACIS.

Phryx tumulum Ajacis dum praeterit, improba coepit
In fortem ignavus fundere verba virum.
Vmbra imo e tumulo infremuit: fugit ocior aura,
Vivus et exstincti non tulit ille minas.

Incerti.

X V I I I.

LVCTATOR SPARTANUS.

Non Argis, non Messana luctator ego adsum:
Sparta mihi patria est, Sparta superba viris.
Arte dolisque alii: decet ut Lacedaemone natum,
Ipse lacertorum robore victor ero.

Damageti.

X I X.

MARS.

Vnde mihi genus hoc spoliorum? stultus acerbum
Quis Martem tali munere dedecorat?
Non fracta est galea haec: sunt haec sine sanguine tela,
Hastaque purpureo nulla cruore madet.
Heu pudet! ubertim sudorque a fronte profusus
Plurimus hirsutum pectus ad usque fluit.
Hae nugae spoliorum ornent conclave torumque
Nuptae, quae cupido sit modo juncta viro.
Ornentur donis Martis delubra cruentis:
Bellipotens solo sanguine laetus ero.

Leonidae.

X X.

CICADA.

Quid me, Pastores, gaudentem rore cicadam,
Haerentemque udis frondibus abripitis?
Nulli ego sum damno: Nymphisque innoxia canto,
Aestivum frangens sole calente diem.
En circum turdique volant merulaeque voraces,
Et sturni agrorum maxima pernicies.
Hos capite; at rorem miserae frondesque caducas
Invidisse, ingens, credite, flagitium est.

Incerti.

X X I.

IN HERCULIS SIGNUM DEJECTUM.

Diffractam et foede putri tellure jacentem
  Conspexi admirans Herculis effigiem.
Indignansque fremensque: Deûm fortissime, dixi,
  Disjectusne jaces sic male truncus humi?
Ille mihi, in somnis compellans, cedere, dixit,
  Tempori ego, quamvis sim Deus, edidici.

Palladae.

X X I I.

DE VITA FUNCTIS.

Quos rapuit mors haud flebo: verum hes ego flebo,
  Quos heu! quoque manet mors inopina die.

Lucillii.

X X I I I.

PSITTACUS.

Versicolor cavea elapsus se praepete penna
  Psittacus alta volans contulit in nemora:
Et doctus *Caesar salve* dixisse, frequenter
  Dicebat *salve Caesar* et in siliis.
Fudit se admirans circum Aligerûm chorus omnis,
  Certans quis melius dicere possit idem.
Traxit voce feras Orpheus in montibus, at te,
  Caesar magne, volens omnis avis loquitur.

Philippi.

XXIV.

DE GANIMEDE RAPTO.

Adspiciens raptum Ganimedem ad sidera ferri
Haec dixit conjux tacta dolore Iovis.
Formoso in puero flammam Troja edidit, unde
Hei mihi! corripitur nunc Pater ipse Deûm.
Ipsa novam sed mox mittam in Cisseida, Trojam
In cinerem vertat natus ut inde Paris.
Nec venient Aquilae: sed sparsa cadavera Grajis
Trojugenum pastum Vulturii advenient.

Aristonis vel Hermiodori.

XXV.

DE ORGANO QUALE NUNC HABEMUS.

Quae nova cannarum species? quis rusticus unquam
Excolere edocuit monstra haec? An ahenea tellus
Tale dedit germen, solido eduxitque metallo?
Non his afflatu nostro, neque viribus ullis,
Non prius auditas possint ut reddere voces,
Hircinis opus est sed follibus: hi cava subter
Aera animam adspirant: aliquis tunc arte magister
Concordes tubulis vel ex dextra atque sinistra
Percurrit tabulas, multusque asserculus inde
Subsiliens, resonis implet concentibus auras.

Iuliani Regis Aegyptii.

XXVI.

DE NICE.

Haud verax fama est, Nice, te tingere crinem:
Namque empta est a te quae coma nigra fuit.

Lucillii.

XXVII.

DE VERE.

Post ventos, post et pluvias et frigora brumae
Extulit e pulcris caput arvis floriferum Ver.
Arboribus redeunt frondes, plantaeque virentes
Quaeque suo varios referunt jam germine flores.
Veris honos Rosa pulcra rubet, Titania conjux
Quam matutino gaudet perfundere rore.
Pastor in aprico considens calle cicutam
Percurrit, gaudetque tuens tondere capellas
Gramina. Iam nautae sese committere ponto
Non dubitant, Zephyri flatu impellente carinas.
Iam sacra vitifero renovant sollemnia Baccho
Ruricolae. volitat carpens thyma summa per arva
Daedala apis: dulci et nunquam satiata labore
Distendit mellis divino munere ceras.
Quin volucrum genus omne canit: laetatur hirundo
Tecta volans circum: concentibus aequora mulcent
Alcyones, nivei propter vaga flumina cycni,
In silvisque iterat dulces Philomela querelas.
Quod si terra viret, pratis gaudentque capellae,
Pastoresque canunt, et flores parturit arbos,
Nauta mare ingreditur, celebrantur et orgia Bacchi,
Mellificant et apes, et aves dant gutture cantus,
Nonne etiam me vere decet cantare poetam?

Incerti.

XXVIII.

MYRONIS VACCA.

Aere Myron me conflavit. Pastor tamen urge:
Te sequar; huic quamvis sim lapidi imposita.

Incerti.

XXIX.

EADEM.

Non Myro me fecit, sed ab arvis arte reductam;
Ne fugerem; heic duro me lapidi imposuit.

Leonidae.

XXX.

EADEM.

Desuper aut vaccam hanc totam tegit aenea pellis;
Aut aeri huic spirans intus inest anima.

Erreni.

XXXI.

EADEM.

Bucula quam video vera est, Myro dixit; at aere
Quam nuper fudi quis mihi surripuit?

Eveni.

XXXII.

EADEM.

Quid mugis? quid pertentas, mea bucula, mammas?
Ars lac uberibus subdere non potuit.

Antipatri Sidonii.

XXXIII.

EADEM.

Aerea mugiret bos pulcra, fuisset et intus
Si mens Artifici pectora construere.

Incerti.

XXXIV.

DE APRO AENEO.

Aereus est aper hic, spirat tamen horridus iram,
Obvius atque parat dentibus exitium.
Setae horrent dorso: spumas habet oris hiatus,
Et jacit ignitis fulmina luminibus.
Quid mirum si collectas Calydone phalanges
Semideûm tanta haec bellua terruerit!

Incerti.

XXXV.

DE MEDEA TIMOMACHI.

Timomachi depicta manu Medea furore
Acta gravi queritur, flet, dolet, odit, amat.
Parcere nunc natis; natorum sanguine in ipso
Impia nunc certa est commaculare manus.
Iamque ensem attollit furibunda, oculosque retorquet,
Et pertentat adhuc corda parentis amor.
Medea haec picta est: at non a caede nefanda
Ipsa; sed abstinuit dextera Timomachi.

Antiphili Bizantii.

XXXVI.

STILUS SCRIPTORIUS.

Qui fueram stilus ante argenteus, aureus en sum
Attritus digitis, clara Puella, tuis;
Cui tantum ingenii Pallas concessit, amica
Quantum etiam formae contulit alma Venus.

Incerti.

XXXVII.

IN SIMULACRUM CUPIDINIS DORMIENTIS.

Dormis qui vigiles curas mortalibus affers:
Dormis, aequorea nate puer Venere.
Arcus humi laxus, passim sparsaeque sagittae,
Abjectaeque jacent et sine luce faces.
Nunc alii haud timeant: in somnis ipse timebo,
Ne videas mihi adhuc sit novus unde dolor.

Statilii Flacci.

XXXVIII.

DE VENERE SPARTAE ARMATA.

Feminea heic Spartae non jam circumdata palla
Molliter incedens alma Venus colitur.
Induitur galea pro longae tegmine vittae;
Implet pro pomis hasta tremenda manus.
Et bene: namque decet saevis splendescere in armis
Spartanam, aut quae sit Martis amica, Deam.

Antipatri.

XXXIX.

DONUM VATIS.

Floribus hanc nexam mitto, Rhodoclea, coronam,
Decerpsi tibi quos ipse meis manibus.
Heic violasque rosasque, et suave rubentem anemonem
Textam Narcissi floribus aspicies.
Ornata his fastum depones: namque caducis
Floribus ut subito, sic tibi forma cadet.

Rufini.

X L.

DE DERCILIDE.

Sunt quatuor Charites; Venus est non una, decemque
Musae: Dercilis est Gratia, Musa, Venus.

Ejusdem.

X L I.

DE SE IPSO.

Non me gemmarum torquet male sana cupido;
Nec curae est Gygem vincere divitiis.
Me juvat imbuere unguentis barbamque capillosque,
Atque ornare rosis tempora puniceis.
Excipiet fors non hodiernam crastina lucem:
Vita igitur, vivo dum licet esse, fruar.

Anacreontis.

X L I I.

AD VULCANUM

Argento e solido affabre, eleganter
Fac Vulcane mihi haud quidem vel ensem,
Vel cristas, clypeumve, acinacemve:
Cum pugnis quid enim mihi? Sed amplum
Poculum mihi fac; profundiusque
Fac quantum potis es. Neque heic Orion
Armatus gladio ciensque nimbos,
Aut plaustrum emineat gravis Bootae:
Orion valeant mihi et Bootes;
Et plaustrum hujus et illius machaera,
Quotquot sunt valeant et astra caeli.
Sed uvis rubeant graves racemi,
Ornatusque hedera caput virenti,
Uvas cumque Cupidine et Bathyllo
Premat doliolo insidens Iacchus.

Ejusdem.

PARS TERTIA

EPIGRAMMATA

ET HENDECASYLLABI

SCHOLASTICORVM SOC. IESV.

CAPUT PRIMUM

EPIGRAMMATA VARIA.

I.

MUNUS QUO POETA MALA CARMINA SIBI MISSA REPENDIT.

Quae mihi scripsisti pro carminibus, tibi librum
Mitto, *Parnassi Regia* cui titulus.
Heic quae producatur, vel quae corripiatur
Syllaba quum noris, carmina scribe mihi.

II.

IN REDITU SODALIS E GRAVI MORBO RESTITUTI.

O bone discedens comitum, Crispine, tuorum
E coetu moestis non sine lacrimulis,
Pallidus, aegroto male firmus corpore, nostrum
Heu quanta opplesti pectus amaritie!
At sospes rediens nostra haec ad limina reples
Omnibus idem omnes, o bone, laetitiis.
Talia si scissem ob reditum hunc fore gaudia, certe
Duxissem haud illud flebile discidium.

III.

EXCLUDIT SANOS HELICONE POETAS DEMOCRITUS.

Hor. in A. P.

Si lex est, quae sanos ex Helicone poetas
Pellit, et insanos ad juga sacra vocat;
Cedite Pierides vestro de monte Sorores,
Et sedem rabidis linquite Maenadibus.

IV.

IN PONTICUM QUOTIDIE BARBAM RADENTEM.

Ponticus assidue barbam sibi radere pergit,
Atque senex flixas defricat usque genas;
Ac si rescissa possit juvenescere barba,
Una et cum barba tota senecta abeat,
Nec posthac omnes maneant in corpore eaedem
Et rugae, et color et calvitium et macies.

V.

IN RULLUM POETAE CALVITIEM IRRIDENTEM.

Tu nulla potis es risum ratione tenere,
Rulle, mei aspiciens calvitium capitis;
Ast ego qua risum potero ratione tenere,
Rulle, tui aspiciens stultitiam capitis?

VI.

DE MILITE CLAUDO.

Se quondam pugnae distorto crure parantem
Cresphontem aspiciens risit Anaxagoras:
Cui Cresphon: quid rides? in certamine suevi
Fidere non pedibus, verum animo atque manu.

VII.

IN GALLUM POETAM INEPTUM ET VENTOSUM.

Etsi aures nobis obtundat, carmina Gallus
Iratis recitans scripta Heliconiasin,
Astra tamen se mox tacturum vertice credit:
Quid mirum, fumus si petit astra levis!

VIII.

IN QUARTILLAM FEMINAM LOQUACISSIMAM.

Quartilla, ut fertur, moriens haec: quam dolet, o mors,
Non quod mi claudis lumina, sed labia.

IX.

AD B. V. MARIAM.

Ut languens in pratis exustusque siti flos,
Quum primum e caelo ros fluit, erigitur,
Luxuriatque alte foliis, sic, o bona virgo,
Labitur ex te quum vivida vis animum
In nostrum erigor, et qui nil nisi humum aspiciebam,
Nil nisi, ubi regnas, aethera, suspicio.

X.

DE JUVENALE ET HORATIO.

Finge aliquem tibi peccanti super impendentem
Cum gladio: facies haec Juvenalis erit
Finge oris maculas tibi leniter abstergentem
Cum risu: vates hic Venusinus erit.

XI.

IN ADOLESCENTEM IMPUBEM MINORA STUDIA FASTIDIENTEM, ET AD MAJORA PROPERANTEM.

Parvus es, et parvi studia haec puerilia pendens
Jam magnam amplecti Pallada mente cupis.
Demens! ten' posse exiguo cohibere cerebro,
Juppiter haud potuit quam cohibere suo?

X I I.

TUMULUS BERNARDI ZAMAGNAE HOMERI ET HESIODI INTERPRETIS ELEGANTISSIMI.

Maeonidae Hesiodique Zamagna interpres, an alter
Maeonides jacet heic, alter et Hesiodus?

X I I I.

TUMULUS CINNAE, DESIDIOSI.

Segnitiem vivens qui deses Cinna nequivit
Explere, illam nunc explet in hoc tumulo.

X I V.

AD ALEXIN PUERUM EGREGIE PILA LUDENTEM.

Ludis, Alexi, pila tam belle tamque perite,
Unus ut ante alios emineas pueros;
Atque unum te quisque admirans brachia tollat,
Plaudat, teque super laudibus astra ferat.
O mihi care puer, caveas pila ut est tibi, ne tu
Sis quondam Idalio ludibrium puero.

X V.

IN IULUM EX MALO SUTORE MEDICUM FACTUM.

Sutrina explosus quod non sutoriam Iulus
Artem calleret, jam optimus est medicus.
Jamque modo huc, modo festinus circumvolat illuc
Ipso audire volens clarior Hippocrate.
Pro superi! ante unus nemo cui credere plantas,
Iamne volet proprium fidere quisque caput? (*)

(*) Phaed. lib. 1. Fab. XIV.

X V I.

CUR VIOLANTIUS ROMA ABSIT.

Quaeris cur semper Roma Violantius absit,
Et vitam parva ducat in urbe libens?
Haud patitur coetu Romae explodi sapientum;
Vnus ibi est inter tot fatuos sapiens.

X V I I.

IN COTTAM ET CINNAM POETAS, ALTERUM TURGIDUM ALTERUM LANGUIDVM.

Vt subito excutiam somnum, si me arctius urget,
Quae tumida eructat carmina Cinna, lego.
Sin lassis opus est sopor ut subrepat ocellis,
Languida, quae effutit carmina Cotta, lego.
Hoc boni habent tantum stultorum carmina: somnum
Quum libet, arcessunt, quum libet, excutiunt.

X V I I I.

SAT HABET FAVITORUM QUI SEMPER RECTE FACIT.

Plaut. Prol. Amphit.

Cur tanto innixus fastu spatiare? tueris
Obliquo cur me lumine, Calligenes?
Num quod turba favet procerum tibi, munere multo
Quos capis, et lactas turpibus obsequiis?
Demens! virtutem tibi nullam ostendis inesse:
Fautorum sat habet cui favet integritas.
Nullum ego fautorem cupio: pulcherrima virtus
Est etenim fautrix et mihi semper erit.

X I X.

IN CALLIGENEM GARRULUM.

Quum mihi Calligénes occurrit, promere nugas
 Improbus, et gerras incipit omnigenas:
Fabellasque omnes garrit, quas compita circum
 Audivit, fatuas narrat et historias.
Maturo gressum misere discedere quaerens;
 Illum interpello: nil juvat, usque tenet.
Quid faciam? obstipo capite obmutesco, loquaci
 Occludo auriculas: protinus ille silet.

X X.

THYRSIS ET CORYDON.

Thyrsis, quum Corydon in pando equitaret asello,
 Impositi quo dorso alter in alterius?
Cui Corydon: etiam tibi consulturus, amice,
 Lectum herbas, terni quas comedamus, eo.

X X I.

IN PUMILUM PRAEGRANDI GLADIO ACCINCTUM.

Dynochares pumilus praegrandi torvus in ense
 Ibat, ei quum sese obtulit Antimachus.
Qui, tamquam si miraretur, nam quis ab alto
 Te gladio ausus suspendere, Dynochares!

X X I I.

IN COLOSSEAM PARVI HOMINIS προτομην.

Alcimus ingentem vasto sub fornice parvi
 Andrapodae quondam quum adspiceret προτομην,
Juppiter! ut parent, inquit, nunc omnia mira!
 Majus quam totum est dimidium Andrapodae.

XXIII.

DE NOVEM GRAECIAE POETRIIS. EX ANTIPATRO THESSAL.

Hae prope Hyanteum fuerunt Helicona Puellae
Altae, ubi nectareos ebiberunt latices.
Praxilla, et Myro, et Smyrnaei Anyte aemula vatis,
Comptarum et Sappho gloria Lesbiadum:
Erinna et celebris Telesilla, atque ora Corinna
Quae cecinit monstri pallida Gorgonei:
Et mollis Nossis, Myrtisque canora, loquutae
Perpetuis olim carmina digna notis.
Aula novem sic caeli, tellus aemula caelo
Ipsa novem genuit sic etiam Aonides.

XXIV.

VENUS APELLIS. EX ANTIPATRO SIDON.

Aspice Apellea ut nostras formosa sub auras
Exserit e pelago se Venus in tabula;
Ut manibus salso stillantes rore capillos
Constringens undas elicit aequoreas.
Ipsa stupet Juno, Pallas stupet; et, tibi forma
Jam certare, ajunt, Cypri, supervacuum est.

XXV.

DE ARTE POETICA.

Quaenam sors hominum, quaenam esset vita Deorum,
Ars esset nullo si tua, Phoebe, loco?
Glande famem inciperent homines depellere rursum,
Atque ipsa in caelo Numina muta forent.

EPIGRAMMATA IN IESUM INFANTEM. (*)

I.

DE DIVINI INFANTIS LACRIMIS.

Heic ubi squalenti Jesus decumbit in antro,
Hac illac rident floribus arva novis.
Flet tamen ille: ah! fors etiam is rideret, obortis
Si mea ego flerem crimina lacrimulis.

I I.

AD VIRGINEM DIVINUM INFANTEM PARITURAM.

Ni renuis cor, Virgo, meum renovare, malisque,
Queis premitur male, purgare cupidinibus,
Illud ego Puero, quem jam es paritura, sacrabo;
Atque heic, heic, dicam, nascere, Sancte Puer:
Non has ipse tibi cunas feci, tua sed, qua
Esse potest tibi nil carius, ipsa Parens.

(*) Mos est in Societate Iesu, ut ejus Scholastici bis in anno religiosa vota restaurent, die scilicet τῃ επιφανειᾳ D. N. I. C. et die Sancto Aloisio sacro; quos dies carminibus solent celebrare, et poeticam, quam quisque exaraverit, lucubrationem in quodam domus loco appendentes legendam exhibere. Ex hisce lucubrationibus selecta nonnulla epigrammata heic tibi subjicio, amice lector; quorum prima in Iesum Infantem caput secundum, altera in Sanctum Aloisium caput tertium amplectitur.

III.

HIEMS OB DIVINI INFANTIS ORTUM
POETAE JUCUNDIOR VERE.

Delicias alii, quotquot sunt veris, odoros
 Floresque atque herbas et Zephyros adament;
Quum vero, dum bruma riget, lateque pruinis
 Tellurem, gelidis obtegit et nivibus,
Mortalis tandem vitae egrediatur in auras
 E gremio castae Virginis iste Puer,
Iste Puer mundum vinclis qui solvet Averni,
 Bruma mihi est verno tempore amabilior.

IV.

IN NOCTEM IESU CHRISTI NATALEM. TITYRUS, ASPHALION.

T. Quae pridem ornabas lauro Parnasside, cur nunc
 Floribus, Asphalion, tempora cincta geris?
A. Pastoresne inter tu nos peregrinus es unus?
 Prodigia an te unum haec, Tityre, tanta latent?
An nescis quem Bethleae sub fornice rupis,
 Et qualem enixa est Virgo parens puerum?
Purpureis illic (mirum!) violisque rosisque
 Invito vernans terra Decembre nitet.
Hos illic carpsi flores, lauroque relicta,
 Implicui textos in nova serta comis;
Non pulcram ex illo resonare Amaryllida silvas
 Amplius, aut Aeglen fistula nostra docet:
At quodcumque levi carmen modulamur avena,
 Caelestis sibi nunc vindicat unus Amor.

V.

AD DIVINUM INFANTEM.

O nive candidior, rubicundior, o Puer, ostro,
Vult scio quid candor, quid rubor ille sibi.
Integritas alter vult ut mea candeat, alter
Ut cor caelesti flagret amore meum.

VI.

AD PALEAS PRAESEPIS DIVINI INFANTIS.

Hujus si tenerum latus admordere Puelli
Cuspidibus vestris parcitis, o paleae,
Vos violisque rosisque, et, verno tempore in hortis
Quotquot nascuntur, floribus anteferam.
Mollia sin membra admordebitis, asperiores
Vos lappis dicam, et vepribus et tribulis.

VII.

THYRSIS DIVINO INFANTI FLOREAM CORONAM.

Floribus ex variis dio quum serta Puello
Offerret Thyrsis, quid mihi, Mater ait,
In mentem mihi quid revocas? non florea natum
Hunc (heu nescis!) sed spinea serta manent.

VIII.

CUR IESUS PAUPER NASCITUR ?

Credideram summo labens ex aethere Numen;
Vt sese humanis artubus indueret,
Selecturum aliquam regali e stirpe parentem
(Si tamen est mater regia digna Deo),
Tectaque regificis subiturum fulta columnis
(Si tamen est aedes regia digna Deo):
Quid tamen hic video? Infantem pauperrima mater
Deserti peperit sub stabuli hospitio.
Haud mirum: veras nobis qui tradere venit;
Non falsas inter nos sibi quaerit opes.

IX.

INSCRIBENDUM PRAESEPI DIVINI INFANTIS.

Ingredere, o hospes; nec si tibi munera desunt,
Hinc alio revocet te tua pauperies:
Praesepis satis est hujus si in limine primo
Ingemines multis oscula cum lacrimis.

X.

IESUS INFANS IN CUNIS LACRIMANS.

Sancte Puer, novi in lacrimas cur solveris: heu fles
Quod non ut par est solvor ego in lacrimas!
Ergo da veteres mihi noxas flere, tuasque
Sic lacrimas lacrimis tergere posse meis.

XI.

ARISBA PUELLA DIVINO INFANTI LILIUM.

Quidquid candidulum est divino parva placere
Infanti noscens, lilium Arisba dedit.
Ille autem, accipio, multoque libentius, inquit,
Si tuus huic candor ¡per foret, acciperem.

X I I.

IESUS INFANS PACIS DATOR.

Pacis amans Puer ille est; et delapsus ab alto
Aethere cum nobis foedera pacis init.
Scilicet hac sese pacem mercede daturum
Spondet, ei nostra haec si modo corda damus.
Nec vero sine corde erimus, secreta recludet
Pectoris, et nobis cor dabit ille suum.

X I I I.

REGES AB ORIENTE PROFECTI IESUM INFANTEM ADEUNT, ET PRETIOSA MUNERA AFFERENTES ADORANT.

Adventant Reges Nabathaea ab sede profecti,
Infantique ferunt mystica dona Deo.
En properant alacres; stabuli jam limina signat
Stella micans, longae duxque comesque viae.
Sistite paullisper gressus heic sistite, Reges;
Vobiscum liceat Numen adire mihi.
Non mihi vobiscum pudor est accedere, sanctos
Vobiscum et Pueri procidere ante pedes.
Numine me dignis vacuum ne credite donis:
Non myrrham aut aurum, non sacra tura fero:
Cor fero, quod Puerum hunc Regemque Deumque fatetur,
Atque Hominem; do quod munera vestra notant.

X I V.

LYCIDAM PASTOREM IN ANTRUM BETHLEMIS EUNTEM PASTOR MOPSUS ALLOQUITUR.

M. Quo, Lycida, tendis? L. Mirum Bethlemis in antrum,
Pulchellus Mariae in quo puer ille cubat.
M. Fasne mihi? L. Quidni? M. Puero sed munera quae dem
Non habeo L. Tanto, Mopse, tibi melius.
Pauperibus Puer ille favet, nec dona moratur;
Pro magno est illi munere noster amor.

X V.

DIVINO INFANTI POETA COR SUUM.

Sancte, tibi anniculum, Puer, agnum ferre parabam;
Ingruit ast avidus, praeripuitque lupus.
Quid faciam? nisi cor spernis, tibi sume, priusquam
Adveniat Stygius praeripiatque lupus.

X V I.

AD IESUM INFANTEM.

Flebilibus lambit ripas qui rivulus undis,
Vagitum infantis Numinis ille refert:
Purpureasque genas nitidosque imitatur ocellos,
Quae nunc invito terra decembre viret.
Sancte Puer, mihi non vagitum oculosque genasque
Da, sed virtutes posse referre tuas.

XVII.

AD IESUM INFANTEM POETA IN SOC. IESU RELIGIOSA VOTA FACTURUS.

Non ego Rex; nec, sancte Puer, tibi munera regum,
Aut aurum aut myrrham aut mascula tura dabo.
Est tamen, est patrii mihi portio debita census;
Hanc tibi do, pro te pauper et esse volo.
Est quodcumque mihi lubet arbitrium faciundi;
Hoc tibi do, pro te servus et esse volo.
Est mihi cum socia vivendi uxore potestas,
Hanc tibi do, pro te castus et esse volo.

XVIII.

POETA COR SUUM DIVINO INFANTI.

Parva quidem tibi, Jesu, at non ingrata parabam
Munera, jam dudum sed periere mihi.
Hei misero mihi! mitem illam ac sine labe columbam
Discerpsit saevis unguibus accipiter.
Illum etiam, herbosis tibi qui crescebat in agris,
Agnum sanguineo proscidit ore lupus.
Nil praeter parvum mihi denique erat super hortum,
Necterem ubi capiti florea serta tuo.
Quum subito irrumpens commixta grandine nimbus.
Ingruit, et flores verberat omnigenos.
Ergo quid faciam? dabo cor, cunctisque columbis,
Spero equidem, agnisque, et floribus anteferes.

X I X.

POETA MENTEM SUAM IN PUERO IESU CONTEMPLANDO HAERENTEM REVOCAT.

Mens mea caelesti cupiens ardescere flamma,
Corporeo sese e carcere proripuit.
Bethleumque antrum praeceps petit, accubat in quo
Divinus nostri captus amore Puer.
Dum tamen accedit propius, terretur, et haeret
Cernens insolitum ex ore micare jubar.
Ille autem: huc accede: volat tunc protinus illa
Oscula purpureis mille datura genis.
Illic ardet adhuc; quidni redit ocius ad me,
Ut cor concepto concremet igne meum?

X X

AD DIVINUM INFANTEM POETA IN PATRIA SUA AEGROTANS.

Exsul ago miser, et longi vis me improba morbi
Kostkiadae a cara cogit abesse domo,
Carmina, Sancte Infans, ubi Lojolaea quotannis
Instaurat pubes et sacra vota tibi.
Instaurare licet mihi vota, at carmina nondum:
Namque valetudo non bene firma vetat.
Infirmas quod si dederis revalescere vires,
In sanctos et me posse redire lares,
Non semel ut mos est, toto sed jugiter anno
In laudes ibit nostra Camoena tuas.

XXI.

AD ZEPHYRUM, UT PUERUM IESUM CALEFACIAT.

Huc ades, o Zephyre, et gelida sub rupe cubantem
Hunc Puerum tepidis calface flaminibus.
Haud, si qualis hic est, scires, quantusque Puellus,
Abnueres merito fungier officio.
Ille tibi tenues humeris innexuit alas:
Ille dedit rigidum solvere posse gelu.
Quid loquor! In vacuas fugit ingratissimus auras
Ventorum, et mea secum irrita verba rapit.
Sancte Puer, sine me gelidae succedere rupi,
Et tua paullisper membra fovere sinu.
Nam volo suspirare tui sacoensus amore,
Donec te mea suspiria calfaciant.

XXII.

IN PUERUM IESUM. AESTER, DAMARIS.

Ae. Damaris unde venis? D. Miro Bethlemis ab antro,
Pulchellus Mariae in quo Puer ille cubat.
Ah qualem vidi! rigidum cunabula stramen
Molliculo praebet dura nimis lateri.
Atque domum praebet silvestri in pumice fornix
Exesa, et Boreae pervia flaminibus.
Ae. Ah, quid ais? curram illuc, atque e floribus istis
Ipsa meis texam culcitulam manibus:
Ipsa torum Puero sternam... D. Quam falleris Aester!
Non has ille Puer delicias adamat.
Cor petit ille tuum; cor sanctis ignibus ergo
Calface, calfacto membraque corde fove.
Corde torus nostro nullus jucundior illi est,
Crede mihi, nulla est culcitra cara magis.

XXIII.

INSCRIBENDUM PRAESEPI DIVINI INFANTIS.

Hoc quodcumque vides antrum pastoribus olim
  Praebebat, saturis hospitium et gregibus.
Nunc Deus indutus puerilibus artubus, ut nos
  Servitio Stygii vindicet a domini,
Hospitium legit sibi; praecipitesque puellus
  Heic imbres, gelidi et flamina fert Boreae.
O te felicem Pueri si membra rigentis
  Ignito refovens pectore calfacias!

XXIV.

PASTOR DIVINI INFANTIS AMORE ILLECTUS SUIS PASTORALIBUS DIVITIIS VALEDICIT.

Nunc ego pastores fortunatissimus inter
  Dicor, nemo et non carpitur invidia,
Mille diu mihi quod pascunt in montibus agnae,
  Mille mihi et stabulum vespere claudit oves;
Quod veniunt pingues mihi mille ad mulctra capellae,
  Bisque die plenis uberibus veniunt.
Ah tamen ah vanus pastores decipit error!
  Nec sum, nec felix ipse mihi videor.
Sancte Puer, possem prope teque tuamque Parentem
  Si struere e rudibus cespitibus casulam,
Ducere et heic vitam, heic te visere saepe, tuisque
  Figere purpureis oscula mille genis,
Tunc ego pastores fortunatissimus inter
  Dicar, tunc felix ipse mihi videar;
Tunc et oves, agnaeque mihi pinguesque capellae,
  Tunc pastorum omnes divitiae valeant.

X X V.

PASTOR ALCON DIVINO INFANTI LILIA.

Hic tibi, Dive agnum Puer, offerat, ille palumbem,
Lac alter pressum praebeat, alter ovem.
Pastores inter quum sim pauperrimus Alcon,
Haec duo do nulla lilia tacta manu.
Oh his candidius mihi cor si floribus esset,
Non hos, ast illud nunc tibi, Dive, darem.

X X V I.

PASTOR MELIBOEUS DIVINO INFANTI HAEDUM.

Succedens antro pastor Meliboeus, ubi Infans,
Progenies summi Numinis illa, jacet,
Hae lus, ait, tantum hic parvo mihi de grege restat,
Hunc nostri, o Infans, pignus amoris habe.
Plura darem, sineret paupertas; sed satis amplum
Dat munus, donat qui tibi quidquid habet.

X X V I I.

AD VIATOREM PRAETERGREDIENTEM PRAESEPE DIVINI INFANTIS.

Infans, quem cernis scabra hac sub rupe tenella
Obtectum rudibus corpora fasciolis,
Quem rigidae mordent Boreae penetrabilis aurae,
Cui teneros artus vilia bruta fovent,
Est Deus Omnipotens delapsus ab aethere summo,
Ut nos servitio vindicet a stygio.
Siste gradum, sanctis pigeat nec ferre, viator,
Non sine lacrimulis oscula liminibus:
Et postquam ablueris lacrimis tua crimina, rupem
Ingredere, Infantem procide et ante Deum.
Nec te resve tuas fallet mora parva: rependet
Sed tibi, sed rebus foenora magna tuis.

XXVIII.

PASTOR AD PASTOREM DE PRAESEPE DIVINI INFANTIS.

Non stabulum, Corydon, hoc est: est Regia caeli,
Caelestem enixa est Virgo ubi progeniem.
Caelestes viden' ut dextra laevaque cohortes
Divinum densae circumeunt Puerum?
Andin' Aligerûm ut juvenum chorus huc vocat omnes,
Sunt qui pastores moribus ingenuis?
Gaudia pars nobis denunciat altera, pacis
Altera promittit munera perpetuae.
Interea totum hoc sacris concentibus antrum,
Vallesque et montes et silüae resonant.
Virgo Parens niveis Puerum complectitur ulnis,
Mille genis figens oscula purpureis.
Castus adest Matri Sponsus, tacitusque stupensque
Tanta suo servat pectore prodigia.
Aut igitur stabulum non est hoc, aut ego Regum
Hoc stabulum, o Corydon, sedibus anteferam.

XXIX.

MUNUS DIVINO INFANTI GRATISSIMUM.

CORYDON ET THYRSIS.

C. Rumpe moras, Thyrsis: Reges imitare Sabaeos;
Donaque Divino tu quoque fer Puero.
T. Illudisne mihi Corydon? ubi divitis auri
Copia, ubi myrrha et mascula tura mihi?
C. Non eget hic nostris, superis qui e sedibus ad nos
Ipse suas venit sponte daturus opes.
Hunc si, Thyrsis, amas satis est; hoc gratius illi,
Crede mihi, quovis munere munus erit.

X X X.

DIVINI INFANTIS AMOR.

Quo miser ingredior? qui vagit parvus in antro
Hoc infans, celso magnus ab axe tonat.
Qui fultus paleis latus illa in rupe quiescit,
Is caeli pedibus sidera summa premit.
Solvitur in lacrimas qui nunc puer, omnia quondam
Terrarum mersit criminis ultor aquis.
Quamquam quid timeo? ingrediar: non dextra trisulcos
Torquet nunc ignes, nec tenet ira Deum.
Iustitiae vetus ille rigor retinetur Amore:
Mittere quae vellet tela refringit Amor.

X X X I.

PROSOPOPOEJA STABULI, IN QUO DIVINUS INFANS NATUS EST.

Caula fui quondam pecudum quae sordida, primo
Vespere quo saturas pastor agebat oves,
Invideo magnis non urbibus, aedibus ipsis
Iam facta aethereis invidiosa domus.
Tempus erit, quum me Reges cum munere visent
Ditis ab extremis finibus Arabiae;
Tempus erit, gemino quum me de littore adibunt
Gentes, hisque dabunt oscula liminibus.
Tempus erit, quum me colet urbs Mavortia, septem
Meque suis illis collibus anteferet;
Nam quem nec caelum nec totus continet orbis,
Natus sub tecto clauditur ille meo.

XXXII.

PAUPERIES DIVINI INFANTIS OMNIBUS DIVITIIS ANTEFERENDA.

Pastores huic, Divinus quo nascitur Infans,
Succedunt antro, et munera parva ferunt.
Pastores tantum: Proceres Regesque superbis
Antrum luminibus tam rude despiciunt.
Ah Proceres omnes valeant Regesque superbi!
Ah Procerum et Regum divitiae valeant!
Non ego permutare velim hujus sordibus antri
Quidquid opum in Regum est et Procerum domibus.

XXXIII.

POETA A DIVINO INFANTE LOCUM PETIT INTER BOVEM ET ASELLUM.

Antro Pastores et Reges dona ferentes
Succedunt, in quo, Sancte Puer, recubas.
Succedit sociorum etiam pia turba meorum,
Si sine muneribus non sine carminibus.
Pauper ego non possum munera, nullaque possum,
Quum vates non sim, carmina ferre tibi.
Non tamen abscedam: tua mi bovem et inter asellum
Afflatu satis est membra fovere meo.

XXXIV.

PASTOR VIRGINI PUERPERAE AGNUM OFFERT.

PASTOR ET VIRGO.

P. Virgo, tuo niveum Puero dum largior agnum,
Cur largo roseas deteris imbre genas?
V. Hic crucis ah! quondam saevae mactatus ad aram,
Ah! quoque (tu nescis) hic Puer agnus erit.

XXXV.

HUMANITATEM NOSTRAM INDUIT DEUS, UT EUM FACILE ET MERITO IMITAREMUR.

Primigenus sibi divinos speravit honores,
Pomum decerpens exitiale Pater.
Ast horto e patrio depulsus in omne laborum
Continuo infelix incidit ille genus.
Tunc Pater omnipotens casu perculsus acerbo
Mente admirandum volvit amoris opus.
Mortalis fiam fragilique, ait, induar ore:
Me facile et merito tunc imitetur homo.

CAPUT TERTIUM

EPIGRAMMATA IN S. ALOISIUM

I.

AD S. ALOISIUM POETA RECENS A MORBO.

Nondum convalui, Lodoix, tamen haec tibi figo
Infirma quatuor carmina scripta manu.
Quod si restitues mihi vires, non quatuor, sed
Figam alacri quatuor millia scripta manu.

I I.

S. ALOISIUS INNOCENTIAM SUAM POENITENTIA CUSTODIT.

ALLEGORIA.

Myrrhea qua pandit spissos arbuscula ramos
Florem consevit Virgineum Lodoix.
Aestifer ut campos quum Sirius urit hiulcos,
Illum frondoso protegat hospitio.

I I I.

S. ALOISIUS JUSSUS A DIVINIS REBUS MENTEM AVERTERE.

Ah caelestis Amor, mea ne amplius urere flammis
Corda tuis, prohibent nam sacra jussa, velis.
Sic Lodoix; cui divus Amor: te corpore solvam,
Atque, ubi sint isthaec irrita jussa, traham.

I V.

POETA AD TUMULUM S. ALOISII.

Pallentes cineri violas, et candida plenis
En, Gonzaga, tuo lilia do manibus:
Meque huc, luce tibi sacra redeunte, quotannis
Spondeo cum puris adfore muneribus:
Pro quibus efficias (fieri quando omnia summus
Quae tu cumque petis dat Pater usque) precor,
Vt quanto huic tumulo flexo sum poplite, tanto
Sidereo sedeam proximus axe tibi.

V.

S. ALOISII IMAGO LAEVA GERENS LILIA
DEXTRA FLAGELLUM.

Quae laeva, juvenis, geris, incorrupte, pudori
Quam bene conveniunt lilia cana tuo!
At quae flagra geris dextra mihi porrige: non sunt
Apta tuis quae sunt moribus apta meis.

V I.

IDEM ARGUMENTUM.

Cur ferulam, Lodoix, dextra, et fers lilia laeva?
Da ferulam mihi, te lilia sola decent.

V I I.

IDEM.

Quam tibi, Loisides, sum dispar! sanguineam tu
In manibus ferulam et lilia pura geris.
At mea contra atro sordescunt lilia coeno,
Et ferula haud ullo tincta cruore nitet.

V I I I.

IDEM.

Lilia sanguineis candentia mixta flagellis
Gestantem quisquis prospicis heic juvenem;
Ne stupeas: Gonzaga est hic; sanctumque pudorem
Vt vita serves asperiore monet.

I X.

IDEM:

Quod laeva niveum haud miror, Gonzaga, ligustrum;
Miror quod dextra flagra cruenta geris.
Illud habe: mage nil illo tibi congruit; illud
Nam tua jure sibi postulat integritas.
Haec nostro nobis tingenda cruore relinque.
Nostra sibi haec merito postulat improbitas.

X.

IDEM:

Signa pudicitiae, quavis quam sorde carentem
Servasti, tibi habe lilia, Loisides.
Ast, qui tam multis foedavi sordibus illam,
Loisides, pigeat ne dare flagra mihi.

X I.

AD S. ALOISIUM, CUIUS CORPUS IN TEMPLO COLLEGII ROMANI COLITUR, POETA DEGENS IN DOMO PROBATIONIS AD S. ANDREAE.

Nostrarum, Lodoix, observantissime legum,
Lex est, nullum extra degere posse domum.
Quare aut ne pigeat nostros habitare penates,
Aut nos in sedem, quam colis ipse, voca.

XII.

AMOR IN FUGAM ACTUS A S. ALOISIO.

ALLEGORIA.

Quum tenera in septo sese rosa proderet horto
Exsuperans omnes una rubore rosas,
Vidit Amor, tenditque manum carpturus; at illum
Sente ferit rigido, praecipitemque fugat.

XIII.

S. ALOISIUS NOCTU E STRATIS SURGIT MENTEM AD DEUM CONVERSURUS.

Dum placidos suadent labentia sidera somnos,
Lumina Gonzagae non sopor ullus habet:
Sed genibus minor, atque obtutu fixus in uno
Se desideriis tollit ad astra suis.
Deficiunt frustra vires; nam languidius quo
Corpus, eo mentem fortior ardor agit.

XIV.

S. ALOISIUS INNOCENTIAE ET POENITENTIAE EXEMPLAR.

Prodiit in dias Lodoix quum luminis oras,
Adstitit Integritas et Metanoea Deo.
Integritas ait; hunc mihi da, Pater optime, et ex hoc
Exemplum puero fingere posse mei.
At contra Metanoea: hominum pars maxima nostro
Exemplo potius quam Integritatis eget.
Tum Pater; ut casti exemplum incestique sequantur,
Sit tuus, Integritas, sit Metanoea, tuus.

X V.

S. ALOISII BEATA MORS.

PLACITA .... ERAT DEO ANIMA ILLIUS *etc.*

SAP. C. 5. V. 14.

Ille satus flos, halantique eductus in horto,
  Maxima cultoris gloria Loisidis,
Quem circum assidue vigilans studium omne locarat,
  Sentibus et late sepserat horridulis,
Ne teneras frondes foedus vel laederet hircus,
  Vel premeret duro rustica turba pede;
Aestibus in mediis jugi quem fonte rigabat,
  Vreret aestivus ne rabido igne canis:
Aurea spargebat quem rore Aurora recenti,
  Mulcebantque suis flaminibus Zephyri;
Altius exseruit postquam caput, omnium et ad se
  Egregia vertit forma et odore oculos,
Forma et odore illum Deus ipse illectus in hortos
  Cum cultore suo transtulit aetherios.

X V I.

S. ALOISIUS LILIUM INTER SPINAS.

Leniter halantes ubi mordet Mincius agros,
  Lilium ut Idalius surgere vidit Amor;
Obstupuit, subitoque novo flagravit amore
  Hoc matris pulcro cingere flore comam:
Jamque manum admorat, sed laesam rettulit; alte
  Septus enim rigidis flos erat ille rubis.

XVII.

S. ALOISIUS SPINEAM CHRISTI CORONAM REGIAE CORONAE ANTEFERT.

Hoc tibi dat, Lodoix, majorum Gloria sertum
Auroque et gemma divite conspicuum:
Hoc tibi Relligio, et Christi patientis imago
Dat rigidis sertum vepribus horridulum.
Elige quod mavis: elegit; protinus illud
Rejiciens pedibus proterit intrepidis:
Et capiti hoc aptans, facit, inquit, quod mihi vulnus
Non dolet, at fecit quod tibi Christe, dolet.

XVIII.

AD S. ALOISIUM LACRIMANTEM.

O qui nullo unquam maculasti crimine vitam,
Assiduis curnam fletibus ora rigas?
Num me flere doces mea crimina? flebo, sed unam
Colligere ex istis me sine lacrimulis.
Aute oculos illam ponam noctuque diuque,
Exemplum fletus fiat ut usque mei.

XIX.

S. ALOISIUS INNOCENTIAM SUAM POENITENTIA TUTATUR.

Aspicis ut, vernas quum se rosa pandit ad auras
Sepitur circum vepribus horridulis,
Ne teneras frondes aut laedat edacibus hircus
Dentibus, aut duro rustica turba pede?
Haec est Loisidis facies, sic verbere flagri
Candorem assiduo protegit ille suum.

X X.

S. ALOISIUS INNOCENTIAE SEDES.

Noxa homines unde ejecit vetus, exsul in horti
Liminibus stabat, flebat et Integritas.
Nunc hos, nunc illos claros virtute videbat,
Non sed ita integris moribus ire viros,
Sedem aliquam ut sese dignam reperiret in illis,
Sedem, quae sedis damna levet veteris;
Quum videt insolito juvenem candore nitentem,
Vt candore suo vix foret inferior:
Atque ait, inveni qua tandem in sede quiescam;
Nam veteri haec similis, sin minus illa vetus.

X X I

S. ALOISII TUMULUS.

Mole assurgentem celsa quem suspicis, est hic,
Flos juvenum Lodoix quo tegitur, tumulus.
Integritas ubi demissis per colla capillis
Ereptum juvenem fletibus urget adhuc.

X X I I.

S. ALOYSIUS LILIUM INTER SPINAS.

Nectebat Matri vario de flore coronam
Idalius, Mincî qua fluit unda, Puer:
Lilium ubi praestans adeo surgebat, odore
Vt flores forma et vinceret omnigenos.
Obstupuit, tenditque manum, sed rettulit, illud
Vndique nam spinis septum erat horridulis:
Ex quibus improbuli pupugit postquam una Puelli,
Guttisque infecit sanguineis digitum,
Pol! memini, inquit, apem; ast hujus prae vulnere spinae,
Infigit quaevis quam leve vulnus apis!

XXIII.

DE S. ALOISIO INTER FLAMMAS ILLAESO.

Iam medium caeli cursum nox atra tenebat,
Somno et Loisides lumina fessa dabat.
Ingens quum subito flamma exardescit, ephebi
Et violenta torum corripit innocui.
Tangere non illum tamen audet, ab aethere lapsis
Namque olim flammis ille cremandus erat.

XXIV.

S. ALOISII INNOCENTIAM ET POENITENTIAM FONS PELLUCIDUS PER SAXA IN MARE PROPERANS REFERT.

VIATOR ET FONS.

V. Saxa per et scabras cur semper, rivule, cautes
Praecipiti currens impete frangis aquas?
Ille viden' formosae ut eat per gramina vallis,
Et ripam leni stringat utramque pede?
F. Foedatas gregibus video et pastoribus undas
Se per limosas in mare ferre vias.
Ast ego pastorique gregique impervius ibo
Per purum currens in mare purus iter.

X X V.

S. ALOISIUS QUUM TICINUM TRANSMITTENS IN EO ESSET UT MERGERETUR DIVINA OPE INCOLUMIS SERVATUR.

Ticini Lodoix quum jam raperetur ab undis,
Adstitit e caeli vertice dius Amor.
Et Puerum servans, tibi non aqua causa perire,
O Lodoix, inquit, sed meus ignis erit.

X X V I.

LILIORUM S. ALOISIO OFFERENDORUM DESIDERIUM.

Hos inter licet omnigenos si lilia flores,
Illa tuae desunt signa pudicitiae,
Ne tamen abjicias, Lodoix: quae lilia nuper
Sevi vix teneros protulerunt calyces.
Spero equidem, emittent mox germina: ut ocius alte
Sustollant sese, nil ego non faciam.
Ast quum agris nunc deficiat sitientibus imber,
Languescant lasso ne capite ah timeo!
Oh, quae tanta tibi, Lodoix, dum vita manebat,
Parva mihi flendi copia siqua foret,
Flere diu vellem noctuque; iterumque rigarem,
Atque iterum illa meis lilia lacrimulis!

XXVII.

S. ALOISIO MORIENTI

INTEGRITAS ET POENITENTIA ADSTANT.

Vitales Lodoix auras dum linqueret, illi
  Hinc Metanoea atque hinc adstitit Integritas.
Lis oritur geminas inter, morientis ephebi
  Vtra paret meritis serta decora comis.
Aliger e summa advenit quum nuncius arce,
  Atque ambas juveni serta parare jubet:
Ambas qui primis, ait, est sectatus ab annis,
  Ambarum moriens praemia digna ferat.

XXVIII.

S. ALOISIUS DIVINO AMORE CONSUMPTUS.

Aspicis in medio quum sol altissimus orbe est,
  Vallibus ut languet flosculus in mediis?
Haec facies, haec est placide morientis imago
  Loisidis, juvenem sic sacer ussit Amor.

XXIX.

S. ALOISIUS JVSSUS MENTEM A DEO AVERTERE.

Acrius extricare plagis quo cerva laborat,
  Arctius hoc nodis implicat illa pedes;
Sic jussus Gonzaga Deum fugit; obvius illi
  Sed fit eo propius quo magis ille fugit.

X X X.

S. ALOISIUS AD B. VIRGINIS ARAM VOVET SUAM VIRGINITATEM.

Perge, puer, dixit volitanti Mater Amori,
  Gonzagae faculis pectus et ure meis:
Nam mage vipereo cante me sanguine vitat,
  Nescius ille meis cedere blanditiis.
Tunc volitavit Amor, faceretque ut jussa Parentis,
  Arripuit facili tela facesque manu.
Ast quum sacrantem seseque suumque pudorem
  Ante aram vidit Parthenidis juvenem,
Victori fugiens sua tela facesque reliquit;
  Ille tulit sacros Virginis ante pedes.

X X X I.

MATER S. ALOISII AD EIUSDEM ARAM.

Cunctarum una vocor fortunatissima matrum,
  Te in lucem, Filî o Sancte, quod ediderim.
Quid tamen hoc juvat? heu! nimium distamus uterque;
  Terram ego, tu sedes incolis aetherias.
Ipsa equidem, si aulam non dedignatus avitam
  Gessisses manibus debita sceptra tuis,
Pars ego fortunae tantae consorsque fuissem,
  Nec tam distaret sors tua sorte mea.
Fac igitur, sorte ut tecum fruitura beata,
  Fac ut laeta tuum tecum ineam solium.
Tunc merito dicar fortunatissima matrum,
  Et laeta, ac omni ex parte beata parens.

XXXII.

TUMULUS S. ALOISII.

Et vitae asperioris amans, sanctique pudoris
  Flos Lodoix situs est ille sub hoc tumulo.
Insons quisquis es ad cinerem hunc accede, piisque
  Hunc precibus, flexis hunc cole poplitibus.
Criminis admissi quod si te cura remordet,
  Ne tamen ah! ne alio te tua cura ferat.
Sed supplex roga, ut haud castum insontemque
    sequuto
  Et rigidum et flentem det tibi posse sequi.

HENDECASYLLABI

I.

AD FLORES, UT DIVINO INFANTI CUNAS COMPONANT.

Herbulae o tenerae atque mollicellae,
O pulcherrima caltha fulgurante
Auro splendidiorque pulchriorque!
O magis nive candidum ligustrum,
O rosae violaeque purpuratae!
Tuque o conspicue hortulorum ocelle,
Anethum redolensque, flosculisque,
Quotquot Thessala nutrit ora, cunctis
Quamvis suavibus elegantibusque,
Longe suavius elegantiusque!
Et vos quotquot in hortulis hiatis,
Quotquot in viridariis amoenis,
Flores luteolique caerulique, et
Albi et purpurei, quot estis omnes,
Currite et properate ad illud antrum,
In quo candidulus tener Puellus,
Quem nuper genuit pudica Virgo,
Cogitur paleas super rigentes
Collocare latusculum tenellum:
Ite, currite flosculi, et Puello
Huic cunas facitote molliores.
Vosque illinc paleae rudes abite

Vestris cuspidibus cum acuminatis,
Quae sunt vepribus omnibus, rubisque
Lappisque, et tribulis molestiores.

II.

AD PALEAS PRESEPIS DIVINI INFANTIS.

Vos o, vos paleae, quibus Puellum,
Puellum omnibus hunc venustiorem,
Hac sub rupe datur fovere, cunctis
Vos estis, paleae, beatiores,
Quotquot sunt, violis, rosis, ligustris.
Namque hunc e Superûm plagis, sinuque
Aeterni ipsius e Parentis ad nos
Delapsum, et fragiles coactum in artus
Humanas genuit Parens in auras,
Parens, atque eadem pudica Virgo.
Ah tamen, moneo, cavete vestrum
Nequa admordeat, aut premat tenellum
Cuspidata latusculum cubantis.
Siqua laeserit, ah beatiorem
Non illam violis, rosis, ligustris
Dicam, at vepribus omnibus rubisque
Lappisque, et tribulis molestiorem!

III.

DIVINO INFANTI ROSAM, ET LILIUM LABANUS OLITOR.

Jesu parvule, delicate Jesu,
Candidum hoc tibi lilium, hanc rosam dat
Dono purpuream libens volensque
Custos pauperis hortuli Labanus.
Hanc rosam oh quoties Rachel poposcit!

Pro qua vimineum mihi quasillum
Offerebat et ingerebat usque :
Sed frustra ; illam etenim tibi spopondi,
Servavique tibi, venuste Jesu.
Nec non hoc sibi lilium poposcit
Sarae filiolus tenellus ille,
Subrufusque, comatulusque Jonas :
Pro quo, quam pedicis tenet revinctam,
Frigillam mihi semper ingerebat :
Sed frustra ; illud enim tibi spopondi,
Servavique tibi, venuste Jesu.
Quare munus habeto quidquid hoc est :
Pro quo non ego grandinem precor te
Diram, non volucres meis repellas
Voraces viridariis, vagasque
Pictis floribus arceas capellas :
Hoc unum peto : sic meum cor aestu
Tui flagret amoris, ut rosa ista
Concepto igne videtur aestuare ;
Atque ut candidulum hoc et integellum est
Lilium, mea puritas sit omne
Illibata per aevum, et integella.

I V.

AD ZEPHYROS UT DIVINO INFANTI SUCCURRANT.

Adeste huc Zephyri, et tepente flatu
Hoc antrum gelidum fovete, Jesus
Quo Puer teneros reclinat artus ;
Quid statis ? Boreae halitus nivalis
Heu mordet Pueri tenella membra !
Huc ergo, o Zephyri, ocius venite,

Atque illum cohibete permolestum,
Crudelem penetrabilem frementem
Flatum, quo Boreas tumultuosus
Hac illac gelidum hoc furit per antrum.
Neque hoc, o Zephyri, satis: videtis
Vt super paleas aculeatas
Infans ille latusculum tenellum
Inclinans queriturque et ingemiscit?
Ite ergo, o Zephyri, et tepente flatu
Telluris gelidae sinus fovete,
Et laxate geluque solvitote,
Vt submittere flosculos tenellos,
Et molles queat herbulas, venustis
Quales ver parit educatque in hortis.
Has ego manibus meis et illos
Decerpamque libens, libensque spargam,
Vbi hic lacteolos reclinat artus
Infans; et paleas eas cremabo
Rudes, horridulas, aculeatas,
Lappisque et tribulis molestiores,
Quae nunc cuspidibus suis tenellum
Hunc laedunt Puerum, fugantque ocellis
Fletu turgidulis levem soporem.

V.

CAECI AD PUERUM JESUM OBSECRATIO.

Jesu parvule, delicate Jesu,
Cui quemquam ex pueris, fuere quotquot,
Aut sunt, aut aliis erunt in annis,
Exstitisse, vel esse, vel futurum
Quandocumque, negat parem aut secundum,

Quicumque os potuit tuum, tuosque
Illos flammeolos videre ocellos.
Hoc tantum mihi caecitas misello
Invidit boni, et illud os, et illos
Nequidquam cupio videre ocellos.
At non ex animo, venuste Jesu,
Illos spes cecidit mihi videndi.
Non bellum modo te, sed et potentem
Naturae Dominum, arbitrumque rerum
Omnes unanimi fatentur ore.
Caeco nunc igitur fave huic misello,
Qui tete rogat, obsecrat, lacessit,
Non jugem ut sibi copiam videndi
Vitae terminum ad usque largiaris;
Ast ut lumina tamdiu recludas
Quamdiu est satis, ut tuum os, tuosque
Illos flammeolos videre ocellos
Pauxillum queat, et (nisi arrogantem
Caeci tam miseri obsecrationem
Hanc putas nimis esse) suaviari.
Quod mi si dederis, nihil morabor
Vitam ipsam; atque oculos libens, nec unquam
Posthac expliciturus obserabo.

V I.

AD SOMNUM UT PUERUM IERUM INSOMNEM SOPIAT.

Huc e Cimmerii specus latebris,
Noctis progenies tenebricosae,
Huc o blandule ades, tenelle Somne;
Atque hujus vigilantis os Puelli,
Et tenerrima crusculа, et lacertos,

Et, qui lacrimulis tument, ocellos
Circumsiste, superque funde succos,
Quos miscere manu soles sopora,
Vt sese placida levet quiete
Infans hic, soboles Patris tonantis,
Quem nuper genuit pudica Virgo,
Hem! quis crederet? algido sub antro.
Sed jam Somnus adest: procul facessant
Hinc curaeque malae, horridaeque larvae.
Eant, si libitum est, volentque circum
Regum tecta, domosque sumptuosas
Virûm turrigeras colentium urbes:
Illic obstrepitent, citroque et ultro
Concursent simul, expleantque pravam
Perterrendi homines cupiditatem.
Isto nam quis eis locus sub antro
Exeso, scopuloso, inhospitoque?
Rerum ubi omnium inops Puellus iste
Brumae obnoxius, omnibusque ventis
Alget; nec pote bos tepente flatu,
Rigentesque fovere asellus artus.
Ohe! quid video? oscitatur, ohe!
Paullatimque oculos reclinat Infans.
Jam dormi, Puer o venuste, dormi.
Tuque, o blande sopor, tuos recessus
Cave ne repetas; sed heic per omnem
Noctem .... nec satis, heic ad usque tempus
Mane hoc cum Puero meridiei,
Donec sol medio calens in orbe
Nivemque et glaciem resolvat; atque hoc,

Quod nunc tam riget, intepescat antrum.
At nos interea silere oportet,
Ne, quae sopierat mea haec Puellum,
Cautio excitet ipsa dormientem.

VII.

S. ALOISIVS JVBETVR A DIVINIS REBVS MENTEM AVERTERE.

Ne caelestis Amor tuas medullas
Paullatim peredat, juberis illum
A te arcere procul, tuamque ab omni
Mentem avertere cogitatione,
Quae, velut cineri abditos doloso,
Excitet veteres amoris ignes:
Nec tu, Loisides, negas tuorum
Parere imperio regentum, et illum,
Sit quamvis tibi carior medullis,
Illum a te procul amoves amorem,
Ne totas peredat tibi medullas.
Quod si, ceu solet, in tuum redit cor,
Atque mollibus ardet in medullis,
Imperî memor, ah procul recede,
Recede hinc procul, inquis, aestuoso
Igne ne peredas mihi medullas.
Heu quam, Loisides, mihi tibique
Parum convenit! ah parum quid inquam?
Nihil convenit heu mihi tibique!
Nam cor cera velut tuum liquescit,
Vruntur, pereduntur et medullae,
Si quando tibi sanctus ille sese
Offert, atque animo recursat ardor:
Contra est pumice siccius mihi cor,

Nec flammis tenerescit admovendis,
Quamvis admoveas satis superque.
Quare si veteris tui clientis
Est qua cura tibi, velim, repellis
Quum tu, Loisides, tuum illum amorem,
Ne totas peredat tibi medullas,
Velim ad me veniat precoris illum,
Ut totas peredat mihi medullas.

VIII.

AD LILIUM, UT CITO AD S. ALOISII MANUS ORNANDAS FLORESCAT.

O veris decus, atque flosculorum,
Lilium o redolens, caput venustum
Ex humo, precor, effer: halitum jam
Nivalis Boreae fugavit aura
Favonî, nec hiems nivosa saevit
Amplius; caput eja tolle pulcrum.
Ne te laedat humus siticulosa,
Ego te manibus meis rigabo
Quum sol extulerit caput decorum,
Quum illud merserit aequoris sub undis.
Rubis te undique sepiam retortis,
Ne te dilacerat protervus hircus,
Ne vellat Boreae impetus furentis,
Ne solis rabidus calor perurat.
Surge, flosculo, surge, quid moraris?
Tu quod virgineum refers decorem
Tu manus decorabis Aloisî,
Qui semper Veneris Cupidinisque
Fugit blanditias periculosas,

Qui mortem potius subisset ultro;
Quam resolvere jura castitatis,
Quam notis maculare vel pusillis
Purius nive corculum pudicum.
Surge, floscule, surge, ne moreris.

IX.

CORYDON ADOLESCENS ET THYRSIS PUER AD ARAM S. ALOISII.

Cor. Thyrsi parvule, pervenuste Thyrsi,
Quid heic tu gregibus procul relictis
Moliris? sibi quid volunt ligustra
Quid rosae sibi, quid sibi canistra,
Herbis quae teneris olentibusque
Ornas, omnigeno replesque flore?
Th Ohe, mi Corydon, an unus inter
Nos tu vel peregrinus es vel hospes?
Unum te latet hunc diem patrono
Nostro Loisidi esse dedicatum?
Has ego violas, rosas, ligustra,
Ejus quod lacrimas, pudorem, amores,
Sese queis adeo Deo probavit,
Ostendunt, nitidis in his canistris
Illi offerre paro, meumque totum
Cor cum floribus his, et his canistris.
Quid struam modo prorsus ipse nosti.
Quid ergo, o Corydon, quid heic moraris
Ultra? Loisiden et ipse forsan
Mecum visere comprecarierque
Exoptas? tibi sit bene ac beate.
Ergo hinc Loisiden simul petamus.

Cor. Hem, Thyrsi, hem! tenerum quidem patronum
Vellem Loisiden, bonum, fidelem
Tecum visere comprecarierque:
Sed mihi nihil offeram quod illi
Est; non sunt violae aut rosae aut ligustra,
Nil, praeter scelerum et piaculorum
Vim, quae me lacrimis madere cogit,
Nec sinit solitas preces ad aram
Illam effundere sacram, ubi quiescunt
Illius cineres beati, et omnis
Ejus quo properat manus clientum.
Th. Tanto ergo magis hanc petamus aram:
Res enim tibi plurimae atque magnae
Sunt, quas Loisidi offeras patrono.
Sunt tibi lacrimae, quibus madescis:
Ergo Loisidi offer has patrono;
Nam quavis prece, floribus, canistris
Huic solent lacrimae esse cariores.

FINIS.

PARTITIO CARMINVM

PARS PRIMA

IOSEPHI PETRVCCI E SOCIETATE IESU CARMINA.

LIBER I.

HEROICA

LIBER SECVNDVS

EPSTOLAE

LIBER TERTIVS
ELEGIAE

LIBER QVARTVS
EPIGRAMMATA

CAPVT PRIMVM

CAPVT SECVNDVM

CAPVT TERTIVM

CAPVT QVARTVM

CAPVT QVINTVM

CAPVT SEXTVM

CAPVT SEPTIMVM

PARS ALTERA

VINCENTII FUGAE

CARMINA

CAPVT PRIMVM

SERMONES

CAPVT SECVNDVM

HEROICA

CAPVT TERTIVM

PARS TERTIA

EPIGRAMMATA ET HENDECASYLLABI

SCHOLASTICORVM SOC. IESU

CAPVT PRIMVM

CAPVT SECVNDVM

CAPUT TERTIUM.

CAPVT QVARTVM.

QUAE OFFICINATORI LIBRARIO IN LITTERIS COMPONENDIS INVITO EXCIDERUNT

Pag.	Linea	Menda	Sic Corrige
xvii.	ult.	ab iis enim	iis enim
13.	ult.	peculsus	perculsus
37	28.	P uero	Puer o
93.	17.	praecuntibus	praeeuntibus
129.	19.	innumeras	innumeros
221.	7.	quarere	quaerere
223.	27.	contaetusque	contactusque
235.	ult.	per	par

Si quo in loco littera aliqua pro alia affine, ut *n* pro *u*, aut *u* pro *n*, *c* pro *e*, aut *e* pro *c*, aut *i* pro *y*, aut simplex *e* pro diphthongo *ae* in vocibus praesertim graecae originis nescio quo modo irrepserit, quum haec menda hujusmodi sint, ut neque intelligentem lectorem remorari, neque laedere aequum possint, ea heic adnotare supervacaneum duxi, teque, ut amice lector, ut tute ipse corrigas oro.